DE DIODORO SICULO VALERII MAXIMI AUCTORE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

MENSE JULIO MDCCCLXXXXIX

EDIDIT

MAGISTER SUPERIORIS ORDINIS

SIEGFRIED MAIRE

MARCHICUS.

SCHOENEBERGII

EX OFFICINA SENSSIANA — MDCCCLXXXXIX.

PROFESSOR ORDINARIUS HANS DE ARNIM

DE DISSERTATIONE RETULIT.

De Diodoro Siculo Valerii Maximi auctore.

Valerium Maximum, qui Tiberii Caesaris temporibus intra annum 781 et 785 a. u. c. (28—32 p. Chr. n.) novem factorum et dictorum memorabilium libros confecit, in enarrandis exemplis M. Tullii Ciceronis et T. Livii opera praecipuos fontes delegisse viri docti[1]), qui Valerii auctoribus indagandis operam dederunt, omnes consentiunt atque ex hac quaestione omnes Sullae aequales et aetatem eius praecedentes removendos esse contendunt. Neque vero Valerium, etsi eum e propioribus a sua aetate auctoribus Ciceronem et Livium primarios duces in opere conscribendo secutum esse persuasum habent, ex illius aequalibus etiam M. Terentii Varronis[2]), C. Julii Caesaris[3]), C. Sallustii Crispi[3]), ex huius aequalibus Pompeii Trogi[4]), C. Julii Hygini[5]) libros interdum in usum vocavisse negant.

Livius, Hyginus Trogusque Augusti imperatoris aetate opera sua composuerunt. Eadem autem aetate inque eadem urbe Diodorus Siculus omnium gentium historiam Graeco sermone exaravit. Huius igitur opus Valerio, qui paucis annis post exempla collegit, notum fuisse pariter atque illorum scripta per se verisimile est. Itaque haud improba coniectura divinare licet illum Diodori quoque bibliothecam historicam si minus ad domestica attamen ad peregrina dicta et facta explicanda nonnusquam adhibuisse, praesertim cum hic non minus idoneam materiem quam Trogus illi suppeditaret. Neque enim, quamquam Diodorum opere suo non tantam auctoritatem adeptum esse, quanta Livius utebatur propter historias suas, libenter concedo, dubitandum mihi videtur esse, quin illius historia universa non minus quam Trogi historiae Philippicae tum innotuerit. Quoniam vero huius vestigia apud Valerium, etsi Zschech et aliqua ex parte Krieger eum Trogi opere usum esse negant, Kempf[6]), de Gutschmid[7]), Crohn[8]) in nonnullis cum domesticis tum alienigenis exemplis deprehendi luculenter demonstraverunt, Diodorum quoque ab illo respectum esse meo iure concludere mihi videor.

---

1) Kempf: Val. Max. edit. maioris (Berol. 1854) prooem. cf. p. 13—17;
Zschech: diss. inaug. Berol. 1865, qu. inscrib.: De Cicerone et Livio Valerii Maximi fontibus;
Kranz: Beiträge zur Quellenkritik des Valerius Maximus. Programm des Friedr.-Wilhelms-Gymn. Posen 1876.
Crohn: diss. inaug. Strassburg 1882: De Trogi Pompeii apud antiquos auctoritate.
Krieger: diss. inaug. Berol. 1888, qu. inscrib.: Quibus fontibus V. M. usus sit in eis exemplis enarrandis, quae ad priorem rerum Romanarum tempora pertinent, cf. p. 11—27.

2) cf. Kriegeri l. l. p. 27—65.

3) cf. Kempfii l. l. p. 17 et 18.

4) cf. Crohnii l. l. p. 7—19.

5) Kriegeri l. l. p. 65—75.

6) cf. l. l. p. 21.

7) cf. Über die Fragmente des Pompejus Trogus 2. Supplem. Fleckeisens Jahrbücher 1856/57 p. 187.

8) cf. l. l. p. 7—19 et 28—37.

Huic vero opinioni omnes fere viri docti partim minus partim magis obstrepunt. Quorum alii, ut Zschech, Collmann, Crohn, Valerium ex Diodori bibliotheca exempla deprompsisse prorsus negant, alii, ut Kempf et Krieger, eum ad eas res describendas, quas et Romani et Graeci memoriae prodiderunt, illos potius adiisse censent. Sed singulas sententias perlustremus:

Zschech[1]) quidem omnino alienum fuisse existimat a consilio rhetorici operis Graecos scriptores advocare neque quidquam argumenti sententiae suae affert.

Collmann[2]), qui Kempfio adversatur, hunc vix cuiquam persuasurum esse Valerium Maximum Diodori libros adhibuisse ad opus suum componendum arbitratur atque ipse quoque tacet, quibus causis ad sententiam suam adductus sit.

Neque magis Crohn[3]), qui ut non Polybium, sed Livium, item Diodorum non expilatum esse a Valerio persuasum habet atque hunc fontes Graecos omnino adiisse negat, hoc iudicium firmis argumentis comprobare studet.

Iam ad Kempfium et Kriegerum, qui minus opinionem nostram impugnant, aggrediamur.

Quorum illi[4]), qui tria exempla Valerii Diodori auctoritati attribuit, omnino Valerius, etsi utrisque litteris eruditus erat, patentibus tot aliis scriptoribus eos potius consulere maluisse videtur, in quibus describendi quam vertendi facilior erat opera.

Hic[5]) autem idem fere sentit, cum Valerium, quamquam et Graeco sermone imbutus fuit, in reddendis eis rebus, quas et Romani et Graeci tradiderunt scriptores, illos potius secutum esse dicit.

Kempf et Krieger igitur ad sententiam meam propius accedunt, quippe qui paucis locis Valerium sua a Diodoro mutuatum esse non prorsus infitientur. Equidem autem, etiamsi illum, utpote qui fontibus maxime in propinquo sitis uti soleret, non solum ad domestica exempla, sed etiam ad externa exponenda Latinos auctores maxima ex parte consuluisse Kempfio libenter concedo, tamen ut Graecos omnino neglectos esse credam a me impetrare non possum. Immo vero non pauca, ut volunt Kempf et Krieger, sed certe tot quot ex Sallustii, Caesaris, Trogi, Hygini libris, maxime ea exempla, quae ad peregrinam historiam pertinent, cum ex aliis Graecis fontibus tum ex Diodori libris desumpta esse contendo. Huic sententiae de Scala[6]), qui Valerium sua plurima quidem ex Livio, sed nonnulla et ex Trogo et ex Diodoro in Tarentino bello describendo hausisse putat, assentitur, sed eam argumentis confirmare non curat.

Id vero ego hac disputatione facere in animo habeo.

Priusquam autem ad meam propriam provinciam aggrediar, quaerendum esse mihi videtur, quibus potissimum causis plerique viri docti adduci potuerint, ut Valerii exempla aut numquam aut perraro e Diodori bibliotheca pendere iure suo dicerent.

Ac primum quidem haud scio an alii hunc ab illo neglectum esse concludant ex eo, quod Valerius Diodorum nusquam nomine apposito testem advocavit. Hoc autem minime mirum est. Nam ille M. Tullium et T. Livium, quos primarios duces sequitur, ter omnino nominatim citat[7]), illum bis, hunc semel. Ceterorum autem auctorum, quibus saepe usus est, Varronis solius mentionem facit, Caesar, Sallustius, Trogus non citantur. Neque igitur est,

---

[1]) cf. l. l. p. 43 adn.

[2]) De Diodori Siculi fontibus. Lips. 1869 cf. p. 59.

[3]) cf. l. l. p. 7 et 14.

[4]) cf. l. l. p. 21 et 22.

[5]) cf. l. l. p. 42.

[6]) Der Pyrrhische Krieg cf. p. 109.

[7]) cf. ex. VIII, 10, 3; VIII, 13 ext. 1; I, 8 ext. 19.

cur inde, quod Valerius Diodori nomen silentio praeterit, conclusio fiat. Quin etiam Zschechio[1]) monente illius citationibus nimis magna fides attribuenda non est. Saepe enim nomina auctorum, quos omnino non consuluit, exemplis adnectit atque etiam, ut Kempf[2]) arbitratur, interdum non sine aliqua diligentiae et doctrinae iactatione altius ad primarios fontes perscrutandos ascendisse videri vult. Itaque nescio an inde, quod Diodorus a Valerio tamquam testis nominatus non est, rectius in contrariam partem conici possit hunc illius opus inspexisse atque ex eo nonnulla mutuatum esse.

Neque minus alterum argumentum, quo Diodorum Valerii fontem fuisse a viris doctis negetur, reiciendum est. Sunt enim qui putent hunc ut hominem Romanum Graecis litteris sive omnino non imbutum sive haud ita eruditum fuisse, ut laborem ex Graeco in Latinum vertendi non libenter susciperet et propterea Graecos auctores neglegeret. Qui vero Valerium Graecae linguae rudem fuisse arbitrantur, ei inspiciant illius libros ipsos, ut erroris convincantur. Declinantur enim ab eo casus Graecorum nominum quae vocantur propriorum non secundum Latinum, sed Graecum morem. At hoc haud scio an quis minus consuetudini eius, qui exempla conscripsit, quam ei, qui illa descripsit, vindicandum esse dicat. Quid? Graeca verba nonne a Valerio saepe operi suo Latina lingua composito sine ulla causa insperguntur[3]) atque etiam nonnusquam tum reperiuntur, cum in fonte Latina verba exstant[4]). Sed non solum singula verba, verum etiam versus ex Graecis scriptis excerpti ab eo afferuntur[5]). Quae si recte perpendimus, facere non possumus, quin Valerio facultatem Graeca scripta latine reddendi immerito derogari pro certo affirmemus.

Quin etiam mihi hic tanta litterarum Graecarum scientia usus videtur esse, ut non invitus Graecos scriptores ad exempla enarranda adiret. Ex operis enim indole atque consilio dilucide apparet Valerium artem rhetoricam et ipsum adfectasse et fortasse alios docuisse. Quodsi verum est, quin ille rhetorum eius aetatis scholas frequentaverit, dubitari non potest. Augusti autem temporibus maxime florebant rhetores Apollodorus Pergamenus et Theodorus Gadareus, qui diversas opiniones tradiderunt atque sectas Apollodoreorum et Theodoreorum fecerunt[6]). Horum successores a Valerio auditos esse etsi certis argumentis demonstrari nequit, tamen aliqua cum probabilitatis specie conici licet. Quodsi ita res se habet, illum Graecis litteris ita studuisse consentaneum est, ut facile scripta Graecorum intellegeret et quodlibet opus Graece conscriptum in Latinum transferret. Atque hoc eo certius credendum est, quod S. Pompeius pro consule Valerium in cohorte amicorum secum in provinciam Asiam duxit[7]).

Haec vero argumenta sunt, quibus adversarii sententiam meam Valerii nonnulla exempla originem e Diodori bibliotheca trahere fortasse refutent. Quae cum non sufficere docuerim, iam eas causas afferam, quibus id quod sentio comprobari possit.

Mihi quidem in animo est Diodorum Siculum Valerii Maximi auctorem fuisse argumentis demonstrare, quae ducuntur et ex dispositione, qua hic magnam copiam exemplorum digerit atque disiungit, et ex consilio, quod in enarrandis rebus memoria dignis sequitur, et ex inani loquacitate, qua affectus animorum excitare studet, et ex consensu cum rerum tum verborum, qui inter Valerii et Diodori locos perspicitur.

---

1) cf. l. l., p. 42, 43.
2) cf. l. l., p. 23, 25, 26.
3) v. ex. IV, 6, 3; I, 7, 7; VIII, 13, ext. 7; VIII, 7, ext. 12; VIII. 7, ext. 10.
4) v. ex. VIII. 7, ext. 9; VIII, 10, ext. 1.
5) v. ex. I, 5, 7; III, 7, ext. 3 et ext. 4; IV, 1. ext. 7.
6) cf. Quint. 3, 1, 17.
7) cf. Kempfii l. l. p. 4.

Ac primum quidem dicendum est de dispositione operis, qua illum ad huius bibliothecam confugere coactum esse puto.

Valerium Maximum, priusquam factorum et dictorum memorabilium libros componeret, ea quae memoria digna esse putaret ex illustribus auctoribus paucis verbis excerpta et in collectaneorum librum recepta suo ingenio exposuisse et Kranz[1]) et Krieger[2]) censent, cui sententiae non invitus accedo. Neque vero mihi credibile videtur esse in eo libro exempla ut occurrebant auctori fontes legenti deinceps adnotata et postea in opere componendo secundum certas notiones esse digesta, sed statim ea cum excerperet ratione quadam certis titulis, quos antea statuerat, Valerium subiunxisse suspicor. Nam hic rhetorum scholis eruditus non is erat, qui memorabiles res sine ordine vel dispositione litteris mandaret. Quin etiam eum adeo artem logicam percepisse, ut sibi, antequam ad libros conscribendos aggrederetur, rationem proponeret, qua exempla electa in singulos libros et in singula capita digereret, valde probabile est. Atque sine dubio haec eadem erat, qua et in colligendis exemplis utebatur et in enarrandis uti in animo habebat. Quae autem ratio Valerii operi insit, pluribus explicare huius loci non est. Quamquam infra[3]), ubi agitur de consilio, quod auctor in exemplis exponendis sequitur, nonnulla eiusmodi afferentur.

Hoc vero ad propositum pertinet:

Valerio facta ac dicta memoria digna et ex domestica historia et ex peregrina depromere atque enarrare in animo fuisse ex prooemio operis satis apparet. Quo consilio id fecerit, iam Dirksen[4]), Kempf[5]), Krieger[6]) diserte demonstrare studuerunt. Auctorem praecipue ideo exempla externa addidisse, ut satietatem vitaret varietatemque afferret orationi, omnes persuasum habent. Quamquam haec sententia aliquam speciem probabilitatis habet, tamen equidem eis[7]) verbis, ex quibus illi viri docti hoc concludunt, tantam vim attribuendam non esse censeo. Illis enim Valerius non tam ex animi sententia mihi videtur usus esse quam ideo, ut externas res cum domesticis aliquo modo apte coniungeret. Quaerenti autem mihi, quamobrem exterarum gentium exempla revera attulerit, probabilis causa occurrit: Valerium facta ac dicta memorabilia ex illustrium auctorum libris haurientem non solum Romana, sed etiam aliena repperisse per se in aperto est. Ciceronis enim et Livii opera exemplorum utriusque generis plena sunt. Quodsi ille ea, quae memoria digna esse videbantur, collectaneorum libro recipiebat, num externas res ab eo praetermissas esse putas? Hoc minime credibile est.

Neque vero exempla domestica et externa promiscue a scriptore recepta esse verisimile est, sed hunc aliquam rerum dispositionem petivisse opinari licet. Qui autem ordo ei aptior videri poterat quam is, ut sub singulis titulis, quos antea statuerat, Romana et alienigena dicta et facta disiungeret atque, ut profecto fecit, haec separato loco illis adnecteret? Cum vero exempla sub titulis ita separavisset, fieri non poterat, quin Valerius, ut aequabilitatem adipisceretur, omnes particulas operis, quoad eius fieri poterat, externis exemplis instruere studeret. Sed revera multum abest, ut omnibus capitibus exempla utriusque generis contineantur[8]). Omnino peregri-

---

[1]) cf. l. l. p. 2 sq.

[2]) l. l. p. 3.

[3]) cf. p. 5.

[4]) cf. Abhandlungen der Berlin. Akademie der Wissenschaften 1845 cf. p. 17 et sq.

[5]) cf. l. l. p. 9.

[6]) cf. l. l. p. 9.

[7]) v. ex. III. 8, ext. 1 et I, 6, ext. 1.

[8]) Externa exempla desiderantur in hisce cc.: l. I, 3; l. II, 8, 9; l. III, 5, 6; l. IV, 2, 4; l. V, 5, 8, 9; l. VI, 7, 8; l. VII, 5, 7, 8; l. VIII, 1–6; l. IX, 7, 9.

norum exemplorum numerus multo inferior quam domesticorum est; haec 636, illla 320 sunt. Altero tanto igitur domesticis externa exempla superantur.

Quomodo haec differentia explicari potest? An Valerium populi Romani exempla permulta, exterarum gentium minora aut etiam nonnusquam nulla enumerare in animo habuisse opinaris? Quaestio difficilis est neque huius rei argumentum afferri posse videtur, nisi quod fontes, quibus Valerius uti solebat, ei parum uberem materiem praebuisse suspicaris. At ex operibus Ciceronis et Livii, quos potissimum auctores adhibuit, magnum numerum externorum quoque exemplorum desumptum esse Zschech et Krieger dilucide demonstraverunt. Atque hic numerus facillime augeri potest. Tamen contendere ausim in fontibus praecipuis res peregrinas minus quam Romanas descriptas esse, ut Valerius, si domesticis externa exempla in omnibus capitibus adnectere vellet, in angustum veniret. Nam siquidem sua cuique capiti exempla domestica non solum, sed etiam externa attribuere constituerat, hoc consilium exsequi multum eius interfuisse verisimile est. Quod cum Valerio e Ciceronis et Livii libris haurienti minus contingeret, ad alios scriptores confugere coactus est atque eos, a quibus peregrina historia magis respecta erat quam ab illis. Quo in numero Hygini liber de viris illustribus et Pompeii Trogi historiae Philippicae habendae sunt. Quid? Diodori Siculi bibliotheca nonne ipsa quoque fons maxime idoneus atque copiosus erat, ex quo Valerius multa exempla preregrina haurire posset? Atque etiam alios hic, ut rem propositam ad finem perduceret, sine dubio adiit. Difficultates autem, quibus in alienigenis exemplis colligendis premebatur, tot erant, ut postremo incepto desistens neque omnibus titulis ea adderet nec differentiam numerorum tolleret.

Atque haec quidem de dispositione operis, ex qua, etiamsi nonnulla, quae statui, ambigua sunt, hoc certe conici licet Diodorum Siculum a Valerio ob uberem materiem historiae externae in usum conversum esse.

Iam disputatio progrediatur ad consilium, quod Valerius in enarrandis dictis factisque memorabilibus secutus est.

Hunc exempla non solum in usum scholarum collegisse, sed id quoque consilium in animo habuisse, ut cum maiorum virtutes et vitia oculis legentium proponeret, hos ad illas adduceret, ab his deterreret iam Kempf[1]) et Krieger[2]) docuerunt. Valerius ipse acta ac dicta virtutum idcirco se explicavisse, ut respectus pristinarum virtutum aliquid aequalium moribus prodesset[3]), vitia ea mente se rettulisse, ut homines se ipsi recognoscentes ad poenitentiam pellerentur[4]), testatur. Quod consilium ut exsequeretur, in septem ultimos libros nullas fere alias res nisi exempla virtutum et vitiorum recepit[5]). Quae cum ita sint, a Valerio cuiuslibet auctoris opus excerpendi causa in manus sumptum esse credibile non est. Immo facile est intellectu illum eos ipsos scriptores adhibuisse, qui res ad eundem finem eodemque consilio

---

[1]) cf. l. l., p. 9.

[2]) cf. l. l., p. 8.

[3]) cf. Val. Max. lib. II, 1 prooem.

[4]) v. Val. Max. lib. IX, 1 init.

[5]) Ratio virtutum et vitiorum ad dispositionem Valerii operis magnam vim habuisse videtur. Huius enim librorum tertii usque ad nonum ordinem eum fuisse, ut priorem locum ea quae laude, posteriorem ea quae reprehensione digna sint obtineant, persuasum habeo. Hoc vel inde elucet, quod auctor complura vitia in fine operis deinceps in deliberationem vocat. (Praeterea cf. init. capit. l. IV, 2; l. V, 2; l. VII, 3; l. VII, 4.) Hanc vero dispositionem omnibus partibus operis accurate non observat, sed nonnullis locis ab ea declinat. (cf. l. III, 5 et 6; l. V, 2 et 3, l. V, 6 et 7; l. VI, 9 et l. VII, 1.) Neque minus recte conicere mihi videor Valerio primo propositum fuisse libris III—VII exempla secundum ordinem principalium virtutum, fortitudinis, moderationis, iustitiae, prudentiae, digerere. Atque hunc ordinem illum iam in libro collectaneorum statuisse mihi probabile est, id quod firmis argumentis comprobare huius loci non est.

condiderunt quo ipse. Quod si verum est, Diodori Siculi libros a Valerio neglectos non esse haud improba coniectura divinare licet. Nam Diodorus in numero illorum auctorum habendus est, quippe qui priusquam ad historiam se conferret de eius fine ac ratione diu ac diligenter consideravisse videatur. Huic rei argumento est, quod initio operis sui[1]) hoc modo disserit:

Διὸ καὶ πρὸς ἁπάσας τὰς τοῦ βίου περιστάσεις χρησιμωτάτην ἄν τις εἶναι νομίσειε τὴν ταύτης (sc. *ἱστορίας*) *ἀνάληψιν. τοῖς μὲν γὰρ νεωτέροις τὴν τῶν γεγηρακότων περιποιεῖ σύνεσιν, τοῖς δὲ πρεσβυτέροις πολλαπλασιάζει τὴν ὑπάρχουσαν ἐμπειρίαν, καὶ τοὺς μὲν ἰδιώτας ἀξίους ἡγεμονίας κατασκευάζει, τοὺς δὲ ἡγεμόνας τῷ διὰ τῆς δόξης ἀθανατισμῷ προτρέπεται τοῖς καλλίστοις τῶν ἔργων ἐπιχειρεῖν, χωρὶς δὲ τούτων τοὺς μὲν στρατιώτας τοῖς μετὰ τὴν τελευτὴν ἐπαίνοις ἑτοιμοτέρους κατασκευάζει πρὸς τοὺς ὑπὲρ τῆς πατρίδος κινδύνους, τοὺς δὲ πονηροὺς τῶν ἀνθρώπων ταῖς αἰωνίαις βλασφημίαις ἀποτρέπει τῆς ἐπὶ τὴν κακίαν ὁρμῆς*[2]).

Neque minus digna sunt quae commemorentur haec:

Ἡμεῖς δὲ τῆς ἱστορίας οἰκεῖον ὑπολαμβάνομεν εἶναι τὸ μὴ παραλιπεῖν ἀνεπισημάντους τὰς τῶν ἡγεμόνων προαιρέσεις ἐπ' ἀμφότερα· τῇ μὲν γὰρ τῶν ἡμαρτημένων κατηγορίᾳ διορθοῦσθαι συμβαίνει τοὺς ἐπὶ τὴν ὁμαίαν καταφερομένους ἄγνοιαν, τῇ δὲ ἐπὶ τῶν ἀγαθῶν ἐπιτηδεύματα εὐφημίᾳ προτρέπεσθαι πολλῶν τὰς ψυχὰς πρὸς ἀρετήν[3]).

Eodem spectant haec quoque verba Diodori:

Μνησθήσομαι τινῶν παραδείγματος ἕνεκα καὶ ἐπαίνου δικαίου καὶ τῷ κοινῷ βίῳ συμφέροντος, ἵν' οἱ μὲν πονηροὶ τῶν ἀνθρώπων διὰ τῆς κατὰ τὴν ἱστορίαν βλασφημίας ἀποτρέπωνται τῆς ἐπὶ τὴν κακίαν ὁρμῆς, οἱ δὲ ἀγαθοὶ διὰ τοὺς ἐκ τῆς αἰωνίου ζωῆς ἐπαίνους ἀντέχεσθαι τῶν καλῶν ἐπιτηδευμάτων ὀρέγωνται[4]).

Haec verba si respexeris, inter Diodorum et Valerium magnam consilii affinitatem intercedere libenter mihi concedas. Cum vero consilium, quo illius opus conscriptum est, non alienum ab huius consilio esset, alterum alterius libros in usum vocavisse colligi potest. Nam etiam Krieger[5]) hoc premit „in Valerii fontibus diudicandis id maxime nobis observandum esse eum illo potissimum usum esse auctore, qui res, quas commemoratione dignas esse putat, ad ipsius consilium atque usum aptissime enarraverit".

Ob moralem ipsam rationem, quae utriusque scriptoris animo obversatur, alio quoque genere Diodorus et Valerius conspirant. Quoniam enim operibus suis id agunt, ut homines ad virtutes adhortentur, depellant a vitiis, facere non possunt, quin eas res, quas commemorant, si honestae sunt laudibus extollant, si malae sunt vehementer castigent.

Hoc vero et paucis et permultis verbis fieri potest. Valerius quidem, quippe qui nimis affectum captet, saepe ut virtutem cuiusdam praedicet ultra iustum modum excedit atque in flumen inanium verborum delabitur. Huius rei testimonium est exemplum IV, 8 ext. 2, ubi ille in Gilliae liberalitate laudanda vanam loquacitatem prae se fert. Huius vero generis multa sunt exempla, sed plura enumerare longum est, praesertim cum viri docti de Valerii more res nimis garrule exornandi idem iudicium ferant.

Ad hanc autem consuetudinem quodam modo Diodori scribendi genus quadrat. Nam hic quoque, ut rebus sive praeclaris sive turpibus animorum affectus excitet, interdum plura

---

1) cf. Diod. Sic. I, 1, fin.

2) In Diodori locis afferendis editionem ab J. Bekkero a. 1853 Lips. recognitam adhibeo.

3) v. Diod. Sic. fg. XXIII, 23 V. 266.

4) v. Diod. Sic. fg. XXXVII, 5 M. 114.

5) cf. l. l. p. 74.

quam par est verba facit. Quo in genere putanda sunt capita l. XI, 58 et 59; l. XIII, 102; l. XV, 88, quibus ille de Themistoclis morte, de Diomedontis supplicio, de Epaminondae gloria copiosius disserit. Neque vero taceam ea re Diodorum a Valerio superari. Hoc tamen non obstat, quin hunc etiam propter stilum quem dicere solemus illius bibliothecam libenter expilavisse meo iure coniciam. Id certe patet si alicuius auctoris opus aptum esset, ex quo Valerius exempla hauriret, Diodori libros fuisse.

Ea argumenta, quibus usque adhuc illum ex huius bibliotheca exempla petivisse comprobare conatus sum, etsi aliquam probabilitatis speciem praebent, tamen non tam gravia videntur esse, ut omnis dubitatio removeatur. Id vero impetraturus esse mihi videor, si magnum consensum sive rerum sive verborum inter Diodori locos et exempla Valerii intercedere demonstravero,

Priusquam autem ad hanc quaestionem transgrediar, opus mihi videtur esse indicare, quibus difficultatibus in comparatione Diodori et Valerii locorum instituenda conflictemur. Hae vero non solum ex illius, sed etiam ex huius opere nascuntur. Diodori quidem bibliotheca integra nobis servata non est. Ex quadraginta enim libris quindecim supersunt, a primo usque ad quintum et ab undecimo ad vicesimum, reliqui temporum iniuria interierunt. Horum reliquiae exstant eclogae Ursinianae ac Valesianae et excerpta Vaticani palimpsesti, quae in magna illa Constantini Porphyrogeniti excerptorum ex veteribus scriptoribus collectione titulis *περὶ πρεσβειῶν, περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας, περὶ γνωμῶν* subiuncta erant, praeter ea eclogae in Photii bibliothecam receptae, perpaucae particulae ab Hoeschelio editae, nonnulla minora fragmenta ex diversis scriptoribus sumpta. Pleraque igitur debemus Constantini operi collectaneorum, quorum excerptores Diodorum non ad verbum expilaverunt, sed ea tantummodo ex eo deprompserunt, quae ad finem propositum pertinerent. Quo factum est, ut multa plane praetermitterent, alia in brevius redigerent[1]). Accedit, quod verborum nexum non curabant, interdum in media sententia subsistebant, nominibus omissis rerum traditarum intellectum turbabant. Itaque saepe accurate statuere nequibimus, quae Diodori verba fuerint, id quod in locis huius et asseclae conferendis mihi respiciendum est.

Neque minus negotii affert in collatione facienda Valerius Maximus ratione, qua fontibus suis usus est. De hac multa iam Kempf[2]), Zschech[3]), Krieger[4]) disputaverunt, quibus pauca addam:

Valerius neque magno veritatis amore atque studio neque iusta diligentia ac religione accepta reddendi est. Quo maiorem vim ornatumve recipiat oratio, permultis locis a vero discedit. Quamquam raro consilio ac ratione fallit, persaepe ignorantia veri fallitur. Mira in inspiciendis aliorum testimoniis negligentia, prava in exscribendis socordia utitur. Ad unam rem enarrandam interdum duos fontes adit ita, ut alterius narratione fundamento usus nonnulla, quae ei ad rem describendam idonea aptaque videantur, ex altero quoque excerpat auctore suaeque relationi adiciat. Sed non solum totas sententias, sed etiam singula verba ab alio scriptore mutuatur. Ut ea, quae ab auctore uberius exponuntur, interdum paucis absolvit, ita non raro aliquot enuntiata rhetorico colore composita ducis narrationi inserit atque inania verba in fine adiungit. Saepe materiem solam, non rationem atque conexum, quibus illa usurpatur, auctori debet. Neque enim raro fit, ut excerptor aliud atque ille comprobare in

---

[1]) cf. Klüber: Über die Quellen des Diodor von Sicilien im IX. Buch. Würzburg 1868 p. 8 et 10.
[2]) cf. l. l., p. 27—34.
[3]) cf. l. l., p. 23, 33—34.
[4]) cf. l. l., p. 2—7.

animo habeat, ut res, quae in fonte exstat, quamvis argumento tamen forma apta non sit. Quid mirum igitur, quod tum Valerius auctoris nexum verborum vel negligit vel ad suum finem conformat?[1])

Haec omnia animadvertenda sunt in locis Diodori et Valerii comparandis, id quod nunc suscepturus sum.

Comparatio autem ita instituatur, ut primum de eis locis agam, qui ita inter se congruunt, ut Diodorum Valerii auctorem esse perspicuum sit, ut tum ea exempla huius afferam, quae quamvis alii scriptores respiciendi sint, tamen admodum probabiliter ad illum referri possint, ut postremo disseram, quae exempla utrum e Diodori bibliotheca hausta sint necne dubites.

Ex eis exemplis, quae Diodoro auctori sine ulla dubitatione vindico, primo loco profero exemplum III, 1, ext. 1, quo agitur de indole Alcibiadis pueri, cuius consilio Pericles usus est. Hoc Valerium ex bibliotheca illius deprompsisse optime cognoscas, si Diodori locum cum exemplo composueris:

Diod. Sic. XII, 38.

Ἀθηναῖοι . . . . . τὰ ἐν Δήλῳ κοινῇ συνηγμένα χρήματα . . . . μετήνεγκαν εἰς τὰς Ἀθήνας καὶ παρέδωκαν φυλάττειν Περικλεῖ. οὗτος δ' ἦν εὐγενείᾳ καὶ δόξῃ καὶ λόγου δεινότητι πολὺ προέχων τῶν πολιτῶν. μετὰ δέ τινα χρόνον ἀνηλωκὼς ἀπ' αὐτῶν ἰδίᾳ πλῆθος ἱκανὸν χρημάτων, καὶ λόγον ἀπαιτούμενος, εἰς ἀρρωστίαν ἐνέπεσεν, οὐ δυνάμενος τῶν πεπιστευμένων ἀποδοῦναι τὸν ἀπολογισμόν. ἀδημονοῦντος δ' αὐτοῦ περὶ τούτων Ἀλκιβιάδης δ' ἀδελφιδοῦς, ὀρφανὸς ὢν τρεφόμενος παρ' αὐτῷ, παῖς ὢν τὴν ἡλικίαν, ἀφορμὴν αὐτῷ παρέσχετο τῆς περὶ τῶν χρημάτων ἀπολογίας. θεωρῶν γὰρ τὸν θεῖον λυπούμενον ἐπηρώτησε τὴν αἰτίαν τῆς λύπης· τοῦ δὲ Περικλέους εἰπόντος ὅτι τὴν περὶ τῶν χρημάτων ἀπολογίαν αἰτούμενος ζητῶ πῶς ἂν δυναίμην ἀποδοῦναι τὸν περὶ τούτων λόγον τοῖς πολίταις, ὁ Ἀλκιβιάδης ἔφησε δεῖν αὐτὸν μὴ πῶς ἀποδῷ τὸν λόγον σκοπεῖν ἀλλὰ πῶς μὴ ἀποδῷ. διόπερ Περικλῆς ἀποδεξάμενος τὴν τοῦ παιδὸς ἀπόφασιν ἐζήτησε δι' οὗ τρόπου τοὺς Ἀθηναίους δύναιτ' ἂν ἐμβαλεῖν εἰς μέγαν πόλεμον. οὕτω γὰρ μάλιστα ὑπελάμβανε διὰ τὴν ταραχὴν καὶ τοὺς τῆς πόλεως περισπασμοὺς καὶ φόβους ἐκφεύξεσθαι τὸν ἀκριβῆ λόγον τῶν χρημάτων.

Val. Max. III, 1, ext. 1[2]).

. . . . . Alcibiades ille . . . . cum adhuc puer ad Periclen avunculum suum venisset eumque secreto tristem sedentem vidisset, interrogavit quid ita tantam in vultu confusionem gereret. At illo dicente mandatu se civitatis propylaea Minervae, quae sunt ianuae arcis, aedificasse consumptaque in id opus ingenti pecunia non invenire quo pacto ministerii rationem redderet atque ideo conflictari, „Ergo“ inquit „quaere potius quemadmodum rationem non reddas“. Itaque vir amplissimus et prudentissimus suo consilio defectus puerili usus est atque id egit, ut Athenienses finitimo implicati bello rationibus exigendis non vacarent . . . . .

In Diodori et Valerii relationibus, quamvis et rebus et verbis in universum concinant, tamen paucae discrepantiae occurrunt. Ille enim narrat Periclem magnam partem thesauri publici ad res privatas, hic populi iussu ingentem pecuniam ad propylaea Minervae aedificanda consumpsisse, ut quomodo rationem redderet explorare nequiret. Hic vero dissensus mihi non tam gravis videtur esse, ex quo Diodorum Valerii auctorem non esse colligam. Nam haud scio an hic, ut saepe facere solet, aut sua ex alio fonte petiverit aut ex ipsius ingenio adiecerit. Mihi quidem probabile est Valerium, quippe cui Diodori verba a Periclis dignitate aliena esse viderentur, magis idoneam causam, cur vir amplissimus plus quam par esset argenti consumpsisset, quaerentem ad eam rem confugisse, de qua statim post illam expositionem Diodorus loquitur, i. e. ad Phidiae opera eiusque calumnias, neque propylaea a Mnesicle esse aedificata

---

[1]) Quo in genere numeranda sunt Valerii exempla e Ciceronis libris petita haec:
Val. Max. IX, 2, ext. 10 = Cic. Hort. (cf. Augustin. c. Iul. Pelag. IV, 15, 78 T X, p. 411. A. Ben. ed. Antv. 1700.); Val. Max. VIII, 9, ext. 3 = Cic. Tusc. I, 34, 83; Val. Max. VIII, 11, ext. 6 = Cic. Orat. 22, 74; Val. Max. IX, 1, ext. 3 = Cic. Tusc. V, 7, 20; Val. Max. VIII, 11, ext. 2 = Cic. ep. ad. fam. V, 12, 7.

[2]) In exemplis afferendis utor Valerii Maximi editione, quam C. Kempf anno 1888 Lips. iterum emendavit.

meminisse. Neque maioris momenti est, quod Diodorus explicat, ex quo thesauro pecunia desumpta sit, assecla hanc rem praetermittit. Iam vero hic orationem obliquam auctoris in directam vertit atque in vanis additamentis, quae narrationi inicit, velut „secreto . sedentem“ et „suo consilio defectus“, versatur. Nihil igitur habes, quod discordia, quae inter duos scriptores animadvertitur, commotus hoc exemplum Diodori auctoritati non attribuas. Immo, si haec verba utriusque scriptoris

παῖς ὢν τὴν ἡλικίαν,	adhuc puer ,
θεωρῶν . τὸν θεῖον λυπούμενον ἐπηρώτησε τὴν αἰτίαν τῆς λύπης·	cum . . . . avunculum suum . . . tristem . vidisset, interrogavit quid ita tantam in vultu confusionem gereret. ,
τοῦ δὲ Περικλέους εἰπόντος . . . . ζητῶ πῶς ἂν δυναίμην ἀποδοῦναι τὸν περὶ τούτων λόγον	At illo dicente . . . . non invenire quo pacto ministerii rationem redderet ,
σκοπεῖν ἀλλὰ πῶς μὴ ἀποδῷ.	„quaere potius quemadmodum rationem non reddas.“
Περικλῆς ἀποδεξάμενος τὴν τοῦ παιδὸς ἀπόφασιν.	suo consilio defectus puerili usus est ,
ἐζήτησε δι' οὗ τρόπου τοὺς Ἀθηναίους δύναιτ' ἂν ἐμβαλεῖν εἰς μέγαν πόλεμον.	id egit, ut Athenienses finitimo implicati bello ,
διὰ τὴν ταραχὴν . . . . ἐκφεύξεσθαι τὸν ἀκριβῆ λόγον τῶν χρημάτων.	rationibus exigendis non vacarent.

in comparationem vocaveris, Valerii exemplum e Diodori loco fluxisse concedas.

Iam quaestio accedat ad exemplum III, 3, ext. 3, quod mihi item ad Diodorum auctorem referendum videtur esse. Conferas hos locos:

Diod. Sic. X, 42 V. 250.	Val. Max. III, 3, ext. 3.
Ὅτι τυραννουμένης τῆς πατρίδος ὑπὸ Νεάρχου σκληρῶς, ἐπιβουλὴν κατὰ τοῦ τυράννου κατεστήσατο (sc. *Ζήνων*). *καταφανὴς δὲ γενόμενος, καὶ κατὰ τὰς ἐν ταῖς βασάνοις ἀνάγκας διερωτώμενος ὑπὸ τοῦ Νεάρχου τίνες ἦσαν οἱ συνειδότες, „Ὤφελον γάρ“, ἔφησεν, „ὥσπερ τῆς γλώττης εἰμὶ κύριος, οὕτως ὑπῆρχον καὶ τοῦ σώματος.“ τοῦ δὲ τυράννου πολὺ μᾶλλον ταῖς βασάνοις προσεπιτείνοντος, ὁ Ζήνων μέχρι μέν τινος διεκαρτέρει . μετὰ δὲ ταῦτα σπεύδων ἀπολυθῆναί ποτε τῆς ἀνάγκης καὶ ἅμα τιμωρήσασθαι τὸν Νέαρχον, ἐπενοήσατό τι τοιοῦτον. κατὰ τὴν ἐπιτονωτάτην ἐπίτασιν τῆς βασάνου προσποιηθεὶς ἐνδιδόναι τὴν ψυχὴν ταῖς ἀλγηδόσιν ἀνέκραγεν „Ἄνετε, ἐρῶ γὰρ πᾶσαν ἀλήθειαν.“ ὡς δ' ἀνῆκαν, ἠξίωσεν αὐτὸν ἀκοῦσαι κατ' ἰδίαν προσελθόντα. πολλὰ γὰρ εἶναι τῶν λέγεσθαι μελλόντων ἃ συνοίσει τηρεῖν ἐν ἀποῤῥήτῳ. τοῦ δὲ τυράννου προσελθόντος ἀσμένως καὶ τὴν ἀκοὴν τῷ στόματι παραβαλόντος, ὁ Ζήνων τοῦ τε δυνάστου περιχανὼν τὸ οὖς ἐνέπρισε τοῖς ὀδοῦσι. τῶν δὲ ὑπηρετῶν ταχὺ προσδραμόντων, καὶ πᾶσαν τῷ βασανιζομένῳ προσφερόντων τιμωρίαν εἰς τὸ χαλάσαι τὸ δῆγμα, πολὺ μᾶλλον προσενεφύετο. τέλος δ' οὐ δυνάμενοι τἀνδρὸς νικῆσαι τὴν εὐψυχίαν, παρεκάλεσαν*[1]) *αὐτὸν ἵνα διῇ τοὺς ὀδόντας. καὶ τοιούτῳ τεχνήματι τῶν ἀλγηδόνων ἀπελύθη καὶ παρὰ τοῦ τυράννου τὴν ἐνδεχομένην ἔλαβε τιμωρίαν.*	Eiusdem nominis (sc. Zeno) philosophus, cum a Nearcho tyranno, de cuius nece consilium inierat, torqueretur supplicii pariter atque indicandorum gratia consciorum, doloris victor, sed ultionis cupidus, esse dixit quod secreto audire eum admodum expediret, laxatoque eculeo, postquam insidiis opportunum animadvertit, aurem eius morsu corripuit nec ante dimisit quam et ipse vita et ille parte corporis privaretur.

[1]) Hoc verbum, ex quo infinitivum pendere oportet, corruptum mihi videtur esse. Quoniam enim ministri id agebant, ut Zeno dentes distraheret aut percuteret (utrumque verbo *διίῃ* significari potest), illis hic aut strangulandus aut trucidandus fuit. Itaque pro *παρεκάλεσαν* aut *παρέπνιξαν* legendum esse opinor aut *παρεκέντησαν*, si Diogenem Laertium (IX, 5, 26) sequor, qui in eadem re exponenda his verbis utitur: *οὐκ ἀνῆκεν ἕως ἀπεκεντήθη*.

Non me fugit Valerium ea, quae Diodorus multis verbis accurate explicat, paucis absolvere. Neque vero ex eo concludendum est exemplum ex bibliotheca originem non ducere, nam illum persaepe fontem in compendium redigere satis constat. Adde quod tanta est inter duos scriptores rerum atque etiam singulorum verborum similitudo, ut eam fortuitam esse statuere nequeas. Respondent enim inter se haec:

ἐπιβουλὴν κατὰ τοῦ τυράννου κατεστήσατο.	de cuius nece consilium inierat ,
κατὰ τὰς ἐν ταῖς βασάνοις ἀνάγκας διερωτώμενος ὑπὸ τοῦ Νεάρχου τίνες ἦσαν οἱ συνειδότες,	cum torqueretur . . . indicandorum gratia consciorum ,
καὶ ἅμα τιμωρήσασθαι τὸν Νέαρχον,	ultionis cupidus ,
ἃ συνοίσει τηρεῖν ἐν ἀποῤῥήτῳ.	quod secreto audire eum admodum expediret ,
περιχανὼν τὸ οὖς ἐνέπρισε τοῖς ὀδοῦσι.	aurem eius morsu corripuit ,
καὶ τοιούτῳ τεχνήματι τῶν ἀλγηδόνων ἀπελύθη καὶ παρὰ τοῦ τυράννου τὴν ἐνδεχομένην ἔλαβε τιμωρίαν.	quam et ipse vita et ille parte corporis privaretur.

Maxime autem Diodori auctoritas eo evincitur, quod huius verba *σπεύδων . . . . . ἅμα τιμωρήσασθαι τὸν Νέαρχον* redeunt apud Valerium ita: „ultionis cupidus". Hoc mirum videtur, quod hic in eo capite, cui hoc exemplum subiunctum est, Nearchi factum patientiae exemplum affert, non de ultione agit. Quid? Valerii narratiuncula, si verba „doloris victor" excepisti, nonne magis ad ultionem quam ad patientiam pertinet? Hoc mihi eo potissimum explicari posse videtur, quod ille sua ex Diodori loco excerpens finem propositum neglexit.

Exemplo IV, 1, ext. 7, ad quod nunc transeo, modestiam septem virorum sapientium, qui aureum tripodem sapientiae praemium omnes deinceps negaverunt et postremo Apollini ut sapientissimo adiudicaverunt, Valerius laudat. Quanta necessitudine hic cum Diodoro in ea re coniunctus sit, facile intellegas, si ad verba Valerii Diodori hos locos apposueris:

Diod. Sic. IX, 6a, 7. M. 15.

6a. *Ὅτι περὶ τοῦ χρυσοῦ τρίποδος ἀμφισβητήσεως οὔσης ἡ Πυθία ἔχρησεν οὕτως·*

Ἔκγονε Μιλήτου, τρίποδος πέρι Φοῖβον ἐρωτᾷς;

Τίς σοφίᾳ πρῶτος πάντων; τούτῳ τρίποδ' αὐδῶ.

7. *Ὅτι οἱ Μιλήσιοι ἀκολουθῆσαι βουλόμενοι τῷ χρησμῷ Θάλητι τῷ Μιλησίῳ τῶν ἑπτὰ σοφῶν τὸ ἀριστεῖον ἐβούλοντο δοῦναι. τὸν δ' εἰπεῖν ὡς οὐκ ἔστι πάντων σοφώτατος, συμβουλεύειν δὲ πρὸς ἕτερον πέμπειν σοφώτερον. τούτῳ δὲ τῷ τρόπῳ καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἑπτὰ σοφῶν ἀποποιησαμένων τὸν τρίποδα Σόλωνι διδόσθαι δοκοῦντι πάντας ἀνθρώπους ὑπερβεβλῆσθαι σοφίᾳ τε καὶ συνέσει. τὸν δὲ συμβουλεῦσαι τοῦτον ἀναθεῖναι Ἀπόλλωνι· τοῦτον γὰρ εἶναι σοφώτερον πάντων.*

Val. Max IV, 1, ext. 7.

Huius viri mentio subicit ut de septem sapientium moderatione referam. A piscatoribus in Milesia regione everriculum trahentibus quidam iactum emerat. Extracta deinde magni ponderis aurea Delphica mensa orta controversia est, illis piscium se capturam vendidisse adfirmantibus, hoc fortunam ductus emisse dicente. Qua cognitione propter novitatem rei et magnitudinem pecuniae ad universum civitatis eius populum delata placuit Apollinem Delphicum consuli cuinam adiudicari mensa deberet. Deus respondit illi esse dandam, qui sapientia ceteros praestaret, his verbis:

Τίς σοφίᾳ πρῶτος πάντων; τούτῳ τρίποδ' αὐδῶ.

Tum Milesii consensu Thaleti mensam dederunt. Ille cessit ea Bianti, Bias Pittaco, is protinus alii, deincepsque per omnium septem sapientium orbem ad ultimum ad Solonem pervenit, qui et titulum amplissimae prudentiae et praemium ad ipsum Apollinem transtulit.

Diodori verba, quae Vaticano palimpsesto nobis servata sunt, debemus eclogario, qui sua sub titulo *περὶ γνωμῶν* Constantini Porphyrogeniti operi collectaneorum inseruit. Quem modestiae septem sapientium accuratam expositionem apud Diodorum invenisse atque causa

breviter indicata Apollinis oraculum solum referre in animo habuisse Klüber demonstrat[1]). Porro hic a Graeco auctore narratiunculae illius, qua de septem sapientibus aureum tripodem negantibus agitur, tria genera secundum Ephorum explicata eorumque primum Valerium amplexum esse docet. Supplenda autem sunt Klübero monente fragmenta ab excerptore nobis tradita eis, quae de eadem re Schol. Aristoph. Plut. 9 et Diogenes Laertius exponunt. Huius[2]) autem verba, quae huc pertinent, ita se habent:

φασὶ γὰρ Ἰωνικούς τινας νεανίσκους βόλον ἀγοράσαι παρὰ Μιλησίων ἁλιέων. ἀνασπασθέντος δὲ τοῦ τρίποδος ἀμφισβήτησις ἦν, ἕως οἱ Μιλήσιοι ἔπεμψαν εἰς Δελφούς. καὶ ὁ θεὸς ἔχρησεν οὕτως·

Ex his causam, cur controversia de tripode orta sit, apud Diodorum eandem esse atque apud Valerium efficitur. Atque etiam narrationes duorum scriptorum omnino inter se adeo congruunt, ut discrepantiae quae animadvertuntur nihil valeant. „Aurea Delphica mensa“ versionem esse Graeci *τρίπους* ex versu oraculi a Valerio Graeco sermone allato cognoscas. Huius vero negligentiae atque brevitatis studio dandum est, quod unum hominem pro compluribus adulescentibus, quos auctor commemorat, piscium capturam emisse narrat atque unum ex oraculi versibus, qui in fonte exstant, missum facit. Neque magis mirum est, quod philosophorum seriem, per quam aurea mensa traditur, accurate describit. Nam dubium non est, quin Diodori excerptor huius rei relationem, quae non minus copiosa erat, in compendium redegerit. Meo igitur iure exemplum Valerii ad Diodori auctoritatem revoco.

Huic adiungo exemplum IV, 7, ext. 1, quo Valerius Damonis et Phintiae Pythagoreorum amicitiam laudibus tollit. Id vero mihi componendum videtur esse cum cum hoc Diodori loco:

Diod. Sic. X, 6. V. 242.

. . . *καὶ γὰρ Διονυσίου τυραννοῦντος Φιντίας τις Πυθαγόρειος ἐπιβεβουλευκὼς τῷ τυράννῳ, μέλλων δὲ τῆς τιμωρίας τυγχάνειν, ᾐτήσατο παρὰ τοῦ Διονυσίου χρόνον εἰς τὸ περὶ τῶν ἰδίων πρότερον ἃ βούλεται διοικῆσαι· δώσειν δ' ἔφησεν ἐγγυητὴν τοῦ θανάτου τῶν φίλων ἕνα. τοῦ δὲ δυνάστου θαυμάσαντος εἰ τοιοῦτος ἔστι φίλος ὃς ἑαυτὸν εἰς τὴν εἱρκτὴν ἀντ' ἐκείνου παραδώσει, προεκαλέσατό τινα τῶν γνωρίμων ὁ Φιντίας, Δάμωνα ὄνομα, Πυθαγόρειον φιλόσοφον, ὃς οὐδὲ διστάσας ἔγγυος εὐθὺς ἐγενήθη θανάτου. τινὲς μὲν οὖν ἐπῄνουν τὴν ὑπερβολὴν τῆς πρὸς τοὺς φίλους εὐνοίας, τινὲς δὲ τοῦ ἐγγύου προπέτειαν καὶ μανίαν κατεγίνωσκον. πρὸς δὲ τὴν τεταγμένην ὥραν ἅπας ὁ δῆμος συνέδραμεν, καραδοκῶν εἰ φυλάξει τὴν πίστιν ὁ καταστήσας. ἤδη δὲ τῆς ὥρας συγκλειούσης πάντες μὲν ἀπεγίγνωσκον, ὁ δὲ Φιντίας ἀνελπίστως ἐπὶ τῆς ἐσχάτης τοῦ χρόνου ῥοπῆς δρομαῖος ἦλθε, τοῦ Δάμωνος ἀπαγομένου πρὸς τὴν ἀνάγκην. θαυμαστῆς δὲ τῆς φιλίας φανείσης ἅπασιν, ἀπέλυσεν ὁ Διονύσιος τῆς τιμωρίας τὸν ἐγκαλούμενον, καὶ παρεκάλεσε τοὺς ἄνδρας τρίτον ἑαυτὸν εἰς τὴν φιλίαν προσλαβέσθαι.*

Val. Max. IV, 7, ext. 1.

. . . . Damon et Phintias Pythagoricae prudentiae sacris initiati tam fidelem inter se amicitiam iunxerant, ut, cum alterum ex his Dionysius Syracusanus interficere vellet, atque is tempus ab eo, quo prius quam periret domum profectus res suas ordinaret, impetravisset, alter vadem se pro reditu eius tyranno dare non dubitaret. Solutus erat periculo mortis qui modo gladio cervices subiectas habuerat: eidem caput suum subiecerat cui securo vivere licebat. Igitur omnes et in primis Dionysius novae atque ancipitis rei exitum speculabantur. Adpropinquante deinde finita die nec illo redeunte unus quisque stultitiae tam temerarium sponsorem damnabat. At is nihil se de amici constantia metuere praedicabat. Eodem autem momento et hora a Dionysio constituta et eam qui acceperat supervenit. Admiratus amborum animum tyrannus supplicium fidei remisit insuperque eos rogavit ut se in societatem amicitiae tertium sodalicii gradum mutua culturum benivolentia reciperent . . . . .

[1]) cf. l. l. p. 8—12.

[2]) cf. I, 27.

Qui hos locos diligenter in comparationem vocaverit, de eorum universa et rerum et verborum consensione non ambiget. Maxime vero inter se conspirant haec verba utriusque scriptoris:

ἠτήσατο παρὰ τοῦ Διονυσίου χρόνον εἰς τὸ περὶ τῶν ἰδίων πρότερον ἃ βούλεται διοικῆσαι.	atque is tempus ab eo, quo prius quam periret domum profectus res suas ordinaret, impetravisset,
ὃς οὐδὲ διστάσας ἔγγυος εὐθὺς ἐγενήθη θανάτου.	alter vadem se pro reditu eius tyranno dare non dubitaret.
τινὲς δὲ τοῦ ἐγγύου προπέτειαν καὶ μανίαν κατεγίνωσκον.	stultitiae tam temerarium sponsorem damnabat.
πρὸς δὲ τὴν τεταγμένην ὥραν . . ἐπὶ τῆς ἐσχάτης τοῦ χρόνου ῥοπῆς	eodem . momento et hora a Dionysio constituta ,
ἀπέλυσεν ὁ Διονύσιος τῆς τιμωρίας τὸν ἐγκαλούμενον, καὶ παρεκάλεσε τοὺς ἄνδρας τρίτον ἑαυτὸν εἰς τὴν φιλίαν προσλαβέσθαι.	tyrannus supplicium fidei remisit insuperque eos rogavit ut se in societatem amicitiae tertium. . . . . reciperent.

Pro hac congruentia differentiae, quae inter duas expositiones intercedunt, parvi momenti esse videntur atque eae, quas ex Valerii ingenio profectas esse statuas. Hic enim, quae ab auctore referuntur, alia breviora reddit, velut civium de Damonis consilio diversas sententias, alia ut leviora praetermittit, quo in genere putanda sunt causa Phintiae supplicii, tyranni dubitatio (cf. verba *τοῦ δὲ δυνάστου* . . . . usque ad *παραδώσει*), populi ad supplicium concursus, alia ut exempli vim exaggeret adicit. Huius vero modi sunt verba „At is nihil“ . . usque ad „praedicabat“. Nonnulla denique rhetorico colore composita Valerius inserit. Huc spectant enuntiata, quae a verbis „solutus erat“ initium capiunt et in verbum „licebat“ desinunt. Haec omnia cum a ratione, qua Valerius fontibus suis uti solet, non abhorreant, eum hoc loco Diodorum sequi persuasum habeo. Neque tamen me fugit duobus locis (cf. de off. III, 10, 45 et Tusc. disp. 5, 22, 63) de Pythagoreorum amicitia Ciceronem egisse. Sed huius relationes nec tam amplae quam Valerii et verbis ab hoc diversae sunt. Accedit, quod Cicero nonnulla, quae apud illum exstant, non commemorat, velut tyranni dubitationem, civium exspectationem, adventus moram. Quorum si rationem habueris, facere non poteris, quin sententiae meae assentiaris.

Nunc progrediatur disputatio ad exemplum VI, 5, ext. 4, quod ipsum quoque haud dubie e Diodori bibliotheca desumptum esse censeo. Id vero exemplum, quo de Charondae iustitia agitur, conferatur cum hoc loco Diodori:

Diod. Sic. XII, 19.	Val. Max. VI, 5, ext. 4.
Λείπεται δ' ἡμῖν εἰπεῖν ὑπὲρ τῆς τοῦ Χαρώνδου τελευτῆς, καθ' ἣν ἴδιόν τι καὶ παράδοξον αὐτῷ συνέβη. ἐπὶ γὰρ τὴν χώραν ἐξιὼν μετὰ ξιφιδίου διὰ τοὺς λῃστάς, καὶ κατὰ τὴν ἐπάνοδον ἐκκλησίας συνεστώσης καὶ ταραχῆς ἐν τοῖς πλήθεσιν, προσέστη πολυπραγμονῶν τὰ κατὰ τὴν στάσιν. νενομοθετηκὼς δ' ἦν μηδένα μεθ' ὅπλου ἐκκλησιάζειν, καὶ ἐπιλαθόμενος ὅτι τὸ ξίφος παρέζωσται, παρέδωκεν ἐχθροῖς τισιν ἀφορμὴν κατηγορίας. ὧν ἑνὸς εἰπόντος „καταλέλυκας τὸν ἴδιον νόμον“, „μὰ Δί'“ εἶπεν, „ἀλλὰ κύριον ποιήσω“. καὶ σπασάμενος τὸ ξιφίδιον ἑαυτὸν ἀπέσφαξεν.	Sed aliquanto Charondae Thurii praefractior et abscisior iustitia. Ad vim et cruorem usque seditiosas contiones civium pacaverat lege cavendo ut, si quis eas cum ferro intrasset, continuo interficeretur. Interiecto deinde tempore e longinquo rure gladio cinctus domum repetens, subito indicta contione sic ut erat in eam processit, ab eoque, qui proxime constiterat, solutae a se legis suae admonitus „Idem“ inquit „ego illam sanciam“ ac protinus ferro, quod habebat, destricto incubuit, cumque liceret culpam vel dissimulare vel errore defendere, poenam tamen repraesentare maluit, ne qua fraus iustitiae fieret.

Horum locorum comparatione instituta Valerio cum Diodoro communia esse haec statuendum est:

ἐπὶ . τὴν χώραν ἐξιὼν μετὰ ξιφιδίου	e longinquo rure gladio cinctus ,
κατὰ τὴν ἐπάνοδον ἐκκλησίας συνεστώσης	domum repetens, subito indicta contione ,
νενομοθετηκὼς δ' ἦν μηδένα μεθ' ὅπλου ἐκκλησιάζειν	lege cavendo ut, si quis eas cum ferro intrasset, . interficeretur.

ἑνὸς εἰπόντος „καταλέλυκας τὸν ἴδιον νόμον“, „ἀλλὰ κύριον ποιήσω“. καὶ σπασάμενος τὸ ξιφίδιον ἑαυτὸν ἀπέσφαξεν.	solutae a se legis suae admonitus , „Ego illam sanciam“ ac protinus ferro, quod habebat, destricto incubuit, .

Magnum igitur consensum rerum et verborum inter illum et hunc intercedere quis est qui neget? Atque etiam hoc animadvertendum est id factum ab utroque scriptore attribui Charondae, qui Thurinis leges scripsit. Diodorus enim ipse testatur alios scriptores illud Diocli, qui Syracusanis leges condidit, accidisse tradere. Neque tamen Valerium paulum ab auctore discedere infitior. Sed quod hic Charondam latronum metu commotum cum gladio profectum et ab inimico quodam legis laesae admonitum esse narrat, omittit ille, non obstat, quin exemplum ad Diodorum auctorem referamus. Neque enim dubium est, quin Valerius illa studio rei coartandae adductus silentio praeterierit. Alia vero de suo penu adiecit, velut causam legis, qua ne quis cum ferro in contionem intraret cautum est, et ea, quae narratiunculae suae subiunxit. Illam autem Valerium ex his Diodori verbis „*συνεστώσης καὶ ταραχῆς ἐν τοῖς πλήθεσιν, προσέστη πολυπραγμονῶν τὰ κατὰ τὴν στάσιν*“ deduxisse mihi probatur, haec eo consilio addidisse videtur, ut Charondae iustitiam in maius tolleret. Nam respiciendum est Diodorum, cum permulta de legibus a Charonda Thurinis constitutis disseruisset, hac narratione illius mortem exponere, Valerium autem iustitiae exemplar afferre in animo habuisse. Qua de causa eam legem, qua laesa Charondas mortem sibi conscivit, hic expositioni suae praemittit, ille occasione data inicit.

Sequitur exemplum VII, 3, ext. 7, quo Valerius de Hannibalis calliditate verba facit. Hic illum Diodori vestigiis plus iusto insistere eiusque verbis inhaerescere intelligimus, si hunc locum bibliothecae in comparationem vocavimus:

Diod. Sic. XXIII. 15 M. 49.	Val. Max. VII, 3, ext. 7.
Ὅτι τῶν Καρχηδονίων στρατηγὸς Ἀννίβας ἡττηθεὶς ναυμαχίᾳ, καὶ φοβούμενος μὴ διὰ τὴν ἧτταν ὑπὸ τῆς γερουσίας τύχῃ τιμωρίας, τέχνημα ἐποίει τοιοῦτον. ἀπέστειλέ τινα τῶν φίλων εἰς Καρχηδόνα δοὺς ἐντολὰς ἅς ποτε ἔδοξεν αὐτῷ συμφέρειν. ὁ δὲ καταπλεύσας εἰς τὴν πόλιν καὶ πρὸς τὴν γερουσίαν εἰσαχθεὶς εἶπεν ὅτι προσέταξεν Ἀννίβας ἐρωτῆσαι τὴν βουλὴν εἰ κελεύει ναυμαχῆσαι διακοσίαις ναυσὶ πρὸς Ῥωμαίων ἑκατὸν εἴκοσι. τῶν δὲ ἀναβοησάντων καὶ κελευσάντων „τοιγαροῦν“ ἔφη „νεναυμάχηκε καὶ ἡττήμεθα. ἐκεῖνος δὲ ὑμῶν προσταξάντων ἀπολέλυται τῆς αἰτίας.“ ὁ μὲν οὖν Ἀννίβας εἰδὼς τοὺς πολίτας ἐκ τῶν ἀποτελεσμάτων συκοφαντοῦντας τοὺς στρατηγοὺς τοιούτῳ τρόπῳ τὰς ἐσομένας κατηγορίας ὑπεξείλατο.	. . . . . Hannibal a Duilio consule navali proelio victus timensque classis amissae poenas dare, offensam astutia mire avertit: nam ex illa infelici pugna prius quam cladis nuntius domum perveniret quendam ex amicis conpositum et formatum Karthaginem misit. Qui, postquam civitatis eius curiam intravit, „Consulit vos“ inquit „Hannibal, cum dux Romanorum magnas secum maritimas trahens copias advenerit, an cum eo confligere debeat“. Adclamavit universus senatus non esse dubium quin oporteret. Tum ille „Conflixit“ inquit „et superatus est“. Ita liberum his non reliquit id factum damnare, quod ipsi fieri debuisse iudicaverant.

In collatione locorum haec ad verbum fere inter se respondent:

Ἀννίβας ἡττηθεὶς ναυμαχίᾳ καὶ φοβούμενος μὴ διὰ τὴν ἧτταν ὑπὸ τῆς γερουσίας τύχῃ τιμωρίας,	Hannibal . . . navali proelio victus timensque classis amissae poenas dare,
ἀπέστειλέ τινα τῶν φίλων εἰς Καρχηδόνα	quendam ex amicis . . . Karthaginem misit.
ὁ δὲ . . . . . πρὸς τὴν γερουσίαν εἰσαχθεὶς εἶπεν ὅτι προσέταξεν Ἀννίβας ἐρωτῆσαι τὴν βουλὴν εἰ κελεύει ναυμαχῆσαι	Qui, postquam civitatis eius curiam intravit, „Consulit vos“ inquit „Hannibal. . . . . an cum eo confligere debeat“.
τῶν δὲ ἀναβοησάντων καὶ κελευσάντων	Adclamavit universus senatus non esse dubium quin oporteret.
„νεναυμάχηκε καὶ ἡττήμεθα.	„Conflixit“ inquit „et superatus est.“ ,
τοιούτῳ τρόπῳ τὰς ἐσομένας κατηγορίας ὑπεξείλετο.	Ita liberum his non reliquit id factum damnare, .

Quoniam igitur relationes mirum quantum consentiunt, a me impetrare non possum,

ut exemplum aliunde[1]) fluxisse existimem, etiamsi paucas differentias inter Diodorum et Valerium intercedere concedo. Hic enim Hannibalem a Duilio consule victum et amicum, priusquam cladis nuntius domum perveniret, Karthaginem missum esse narrat, quae res apud illum desiderantur. Has vero quamquam Valerium ex suo ingenio adiecisse credibile est, tamen e Diodori opere ortas esse inde concludo, quod huius expositio non tota exstat. Nam locus, quem attuli, ex opere Constantini Porphyrogeniti ecloga *περὶ γνωμῶν* servatus est. Itaque suspicari licet ab excerptore non omnia, quae apud Diodorum invenit, exscripta esse, sed ea tantummodo, quae ad finem propositum pertinerent. Iam vero Valerii verbis „conpositum et formatum“, etsi cum Diodori verbis „*δοὺς ἐντολὰς ἅς ποτε ἔδοξεν αὐτῷ συμφέρειν*“ ad unguem non congruunt, nonne eadem res ab utroque scriptore significatur? Quod denique Valerius numeros navium accurate non indicat, studio brevitatis dandum esse quis est qui neget? Ille igitur cum Diodoro tanta necessitudine cohaeret, ut de huius auctoritate dubitari nequeat.

Iam venio ad exemplum IX, 2, ext. 4. Hoc Valerius explicat, quantas crudelitates Zisemis, Thraciae rex, in civibus exercuerit. Quae vero ab illo narrantur, magnam affinitatem cum hoc Diodori loco habent:

Diod. Sic. XXXIV, 34 V. 373.	Val. Max. IX, 2, ext. 4.
Ὅτι ὁ τοῦ Διηγύλιος υἱὸς Ζιβέλμιος, ἐζηλωκὼς τὰς τοῦ πατρὸς μιαιφονίας, μνησικακῶν δὲ ὑπὲρ τῶν τοῖς Θρᾳξὶ πραχθέντων, ἐπὶ τοσοῦτο προῆλθεν ὠμότητος καὶ παρανομίας ὥστε τοὺς προσκόψαντας πανοικίους τιμωρεῖσθαι. ἐπὶ γὰρ ταῖς τυχούσαις αἰτίαις τοὺς μὲν διεμέλιζε, τοὺς δὲ ἀνεσταύρου, τοὺς δὲ καὶ ζῶντας ἐνεπύριζε. γονέων δὲ ἐν ὄμμασι καὶ κόλποις ἐγκατέσφαζε τέκνα, καὶ κρεανομῶν τὰ σώματα παρετίθει τοῖς συγγενεστάτοις, ἀνανεούμενος τὰς παλαιὰς ἐκείνας Τηρέως ἢ Θυέστου θοινάς.	† Zisemis, Diogyridis filii, Thraciae regis, etsi minus admirabilem crudelitatem gentis ipsius feritas, narrandam tamen rabies saevitiae facit, cui neque vivos homines medios secare neque parentes liberorum vesci cogere corporibus nefas fuit.

Regis Zisemis a nullo scriptore nisi a Valerio Maximo mentio fit. Quae autem ab illo maxima cum crudelitate facta esse hic narrat, eadem fere redeunt in Diodori expositione. Quis enim est qui infitietur haec inter se convenire?

τοὺς δὲ καὶ ζῶντας ἐνέπριζε[2])	neque vivos homines medios secare,
καὶ κρεανομῶν τὰ σώματα (sc. *τῶν τέκνων*) *παρετίθει τοῖς συγγενεστάτοις.*	neque parentes liberorum vesci cogere corporibus nefas fuit.

Quae cum ita sint, Wesseling et Torrenius, Valerii Maximi editores, Zisemem Diogyridis filium eundem esse atque *Ζιβέλμιον Διηγύλιος υἱὸν* recte suspicari mihi videntur. Adde quod a Strabone[3]) et ab Appiano[4]) Diegylis quidam Thraciae rex commemoratur, ut hoc loco Diegylidis, ut Kempf admonet, rectius scribendum sit. Quod si verum est, Valerium exemplum e Diodori opere mutuatum esse probabile est. Frustra enim Graecos et Latinos auctores advocaveris, ut eiusdem rei, quam Diodorus et Valerius memoriae prodiderunt, expositionem investiges. Quod vero ille copiosior est hoc, nihil refert; saepe enim fit, ut Valerius ducis narrationem breviorem reddat.

Ei exemplo, de quo modo disputavi, apte adnectitur IX, 2, ext. 5, ubi Valerius

---

[1]) Hygini, ex cuius libris auctor de viris illustribus (cf. 38,2) sua desumpsit, ratio habenda non est, quia hic Hannibalem ipsum, ut a senatu quaereret, Karthaginem fugisse refert.

[2]) Scriptura *ἐνεπύριζε* haud scio an mendo infecta sit. Melius ad Valerii verba „medios secare“ *ἐνέπριζε* quadrare mihi videtur.

[3]) cf. XIII. 4, 2 p. 624 Cor.

[4]) cf. Mithr. 6.

Ptolemaeum Physconem, Aegyptiorum regem, quia filii sui corpus crudelem in modum detruncavit, vehementissime vituperat. Eadem vero res a Diodoro narratur hoc modo:

Diod. Sic. XXXIV, 36 V. 374.

῞Οτι ὁ Πτολεμαῖος ὁ Φύσκων προσαγορευόμενος, πυθόμενος τὴν τῆς Κλεοπάτρας πρὸς αὐτὸν ἀλλοτρίωσιν, καὶ οὐ δυνάμενος ἄλλως αὐτὴν λυπῆσαι, πρᾶξιν ἀνοσιωτάτην ἐτόλμησεν ἐπιτελέσασθαι· μιμησάμενος γὰρ τὴν τῆς Μηδείας ὠμότητα καὶ μιαιφονίαν, τὸν κοινὸν αὐτοῦ τε κἀκείνης υἱὸν ἔσφαξεν ἐν τῇ Κύπρῳ, παῖδα μὲν ὄντα τὴν ἡλικίαν, ὀνομαζόμενον δὲ Μεμφίτην. οὐκ ἀρκεσθεὶς δὲ τῷ ἀσεβήματι τούτῳ πολλῷ μεῖζον μύσος ἕτερον ἐπετελέσατο. ἀκρωτηριάσας γὰρ τὸ σῶμα τοῦ παιδὸς καὶ ἐνθεὶς εἴς τινα κίστην προσέταξέ τινι τῶν ὑπηρετῶν εἰς τὴν ᾿Αλεξάνδρειαν διακομίσαι· κατὰ τύχην δὲ σύνεγγυς ὄντων τῇ Κλεοπάτρᾳ τῶν γενεθλίων, τῇ πρὸ τούτων νυκτὶ θεῖναι τὴν κίστην πρὸ τῶν βασιλείων παρεσκευάσατο. οὗ συντελεσθέντος, καὶ τῆς περιστάσεως ἐπιγνωσθείσης, ἡ Κλεοπάτρα πένθος ἤρατο, καὶ τὸ πλῆθος παντελῶς ἀπεθηριώθη πρὸς τὸν Πτολεμαῖον.

Val. Max. IX, 2, ext. 5.

Iterum Ptolemaeus Physcon emergit, paulo ante libidinosae amentiae taeterrimum exemplum, idem inter praecipua crudelitatis indicia referendus: quid enim hoc facto truculentius? Filium suum nomine Memphiten, quem ex Cleopatra, eadem sorore et uxore, sustulerat, liberalis formae, optimae spei puerum, in conspectu suo occidi iussit protinusque caput eius et pedes praecisos [et manus] in cista chlamyde opertos pro munere natalicio matri misit, perinde quasi ipse cladis quam illi inferebat, expers, ac non infelicior, quod in communi orbitate Cleopatram miserabilem cunctis, se invisum reddiderat. Adeo caeco furore summa quaeque effervescit crudelitas, cum munimentum ex se ipsa repperit: nam cum animadverteret quanto sui odio patria teneretur, timori remedium scelere petivit, quoque tutius plebe trucidata regnaret, frequens iuventute gymnasium armis et igni circumdedit omnesque, qui in eo erant, partim ferro, partim flamma necavit.

Quibus locis collatis Diodorum et Valerium his enuntiatis consentire concedas:

υἱὸν ἔσφαξεν . . . παῖδα μὲν ὄντα τὴν ἡλικίαν, ὀνομαζόμενον δὲ Μεμφίτην.
ἀκρωτηριάσας . τὸ σῶμα τοῦ παιδὸς καὶ ἐνθεὶς εἴς τινα κίστην προσέταξε . . . . . . διακομίσαι· κατὰ τύχην δὲ σύνεγγυς ὄντων τῇ Κλεοπάτρᾳ τῶν γενεθλίων,

Filium suum nomine Memphiten . . . . puerum
. . . occidi iussit ,
caput eius et pedes praecisos [et manus] in cista . .
pro munere natalicio matri misit.

Haec quamvis id quod censeo Diodorum Valerii auctorem esse commendent, tamen multo magis sententiae meae fidem facit id, quod ab utroque scriptore pariter exponitur, quid Ptolemaeus crudelitate sua effecerit. Uterque enim Cleopatrae lamentatione cives magno in regem odio inflammatos esse refert. Neque vero Diodori et Valerii expositiones nonnullis rebus inter se differre nego. Ille enim scelus in insula Cypro commissum et filii membra Alexandriam missa esse narrat, ea quae in huius exemplo non reperis. Sed haec minus ad rem pertinent, quae a Valerio consilio praetermissa esse suspicari liceat. Quod vero hic filium „liberalis formae, optimae spei puerum" fuisse atque „in conspectu" patris occisum esse tradit, sine dubio ea mente factum est, ut Ptolemaei crudelitas augeretur. Neque minus verba „quem ex Cleopatra, eadem sorore et uxore, sustulerat" et „perinde quasi ipse cladis, quam illi inferebat, expers" ex Valerii[1]) officina manasse videntur. Atque etiam ea, quae hic narratiunculae quasi exordium praemittit, eidem attribuenda sunt. Quae vero Valerius in fine adiungit, etiamsi apud Diodorum servata non sunt, tamen ex huius opere deducenda esse mihi videntur aeque ac verba „chlamyde opertos". Nam Diodori locum non huius ipsius verba, sed ex Constantini collectaneorum libro eclogam esse animadvertendum nobis est. Nihil igitur est, quod de Diodori auctoritate dubitemus. Neque tamen me fugit Livium[2]) et Pompeium Trogum[3]) ipsos quoque de Ptolemaei crudelitate egisse. Sed Iustini, Trogi excerptoris, verba, etsi eandem rem praebent, minus ad Valerii expositionem

---

[1]) Valerius Ptolemaei alio loco (cf. IX, 1. ext. 5), quem Kempf (cf. l. l. p 21) iure suo ad Trogum auctorem revocat, mentionem facit.

[2]) cf. epit. 59.

[3]) cf. Iustin. XXXVIII, 8, 13.

quadrant. Livium autem, cuius relatio propius ad illius exemplum et rebus et verbis accedit, ob eam causam ex hac quaestione removendum esse puto, quod hoc exemplum aliud praecedit, quod e Diodori bibliotheca petitum esse verisimile est[1]), atque duae narratiunculae in huius eodem libro continuo se excipiunt. Hoc vero argumento Crohnii[2]) dubitationem, utrum Valerius in hoc exemplo exponendo Livii an Pompeii vestigiis insistat, sublatum iri spero.

Iam veniunt in quaestionem exempla IX, 12, ext. 9 et IX, 12, ext. 10, quibus de exitu Milonis et Polydamae athletarum a Valerio agitur. Eis vero Diodori hos locos appono;

Diod. Sic. IX, 24 M. 20.

Ὅτι μέγα ἐστὶν οὐ τὸ δύναμιν ὁπουδήποτε σχεῖν, ἀλλὰ τὸ ταύτῃ δεόντως χρῆσθαι. ἐπεὶ τί ὄφελος Μίλωνι τῷ Κροτωνιάτῃ τὸ μέγεθος τῆς περὶ τὸ σῶμα ῥώμης;

Val. Max. IX, 12, ext. 9.

Iungam illos, quos et propositum et exitus pares fecit. Milo Crotoniates, cum iter faciens quercum in agro cuneis adactis fissam vidisset, fretus viribus accessit ad eam insertisque manibus divellere conatus est. Quas arbor excussis cuneis in suam naturam revocata conpressit eumque cum tot gymnicis palmis lacerandum feris praebuit.

Diod. Sic. IX, 25 M. 20.

Ὅτι Πολυδάμας ὁ Θετταλὸς ὑπὸ τῆς πέτρας διαρραγεὶς πᾶσιν ἐποίησεν φανερὸν ὡς ἐπισφαλές ἐστιν ἰσχὺν μὲν μεγάλην ἔχειν, νοῦν δὲ μικρόν.

Val. Max. IX, 12, ext. 10.

Item Polydamas athleta tempestate speluncam subire coactus [est], nimio et subito incursu aquae labefactata ea ac ruente, ceteris comitibus fuga periculi egressis solus restitit tamquam humeris suis totius ruinae molem sustentaturus, sed pondere omni corpore humano potentiore oppressus imbris petitam latebram dementis facti sepulcrum habuit. Possunt hi praebere documentum nimio robore membrorum vigorem mentis hebescere, quasi, abnuente natura utriusque boni largitionem, [ne] supra mortalem sit felicitatem eundem et valentissimum esse et sapientissimum.

Dolendum est, quod ea quae Diodorus ipse de Polydama et Milone athletis explicavit temporum iniuria interierunt. Ea enim, quae attuli, ex Constantini Porphyrogeniti illo libro excerpta atque palimpsesto Vaticano servata sunt. Etsi vero haec fragmenta breviora sunt, quam ut ex verborum similitudine quicquam certi conicere queamus, tamen in exemplis enarrandis a Valerio Diodori opus adhibitum esse ex eo concludi potest, quod illum huius libro IX usum esse iam supra[3]) demonstratum est. Accedit, quod scriptores, qui eandem materiem sive ex Diodori bibliotheca ipsa, ut Tzetzes, sive ex illius auctore Ephoro[4]), ut Strabo et Pausanias, sumptam memoriae produnt, ad unguem fere cum Valerio conveniunt. Iam, ut ipse comparationem instituas, hi loci subiungantur:

de Milone:

Strabo VI, 1, 12.

Λέγεται γοῦν (sc. *Μίλων*) *ὁδοιπορῶν ποτε δι' ὕλης βαθείας παραβῆναι τὴν ὁδὸν ἐπὶ πλέον, εἶθ' εὑρὼν ξύλον μέγα ἐσφηνωμένον, ἐμβαλὼν χεῖρας ἅμα καὶ πόδας εἰς τὴν διάστασιν βιάζεσθαι πρὸς τὸ διαστῆσαι τελέως, τοσοῦτον δ' ἴσχυσε μόνον ὥστ' ἐκπεσεῖν τοὺς σφῆνας· εἶτ' εὐθὺς ἐπισυμπεσεῖν τὰ μέρη τοῦ ξύλου, ἀποληφθέντα δ' αὐτὸν ἐν τῇ τοιαύτῃ πάγῃ θηρόβρωτον γενέσθαι.*

Pausan. VI, 14, 8.

Ἀποθανεῖν δὲ ὑπὸ θηρίων φασὶν αὐτόν (sc. *Μίλωνα*)· *ἐπιτυχεῖν γὰρ αὐτὸν ἐν τῇ Κροτωνιάτιδι αὐαινομένῳ ξύλῳ, σφῆνες δὲ ἐγκείμενοι διίστασαν τὸ ξύλον. ὁ δὲ ὑπὸ φρονήματος ὁ Μίλων καθίησι τὰς χεῖρας ἐς τὸ ξύλον· ὀλισθάνουσί τε δὴ οἱ σφῆνες, καὶ ἐχόμενος ὁ Μίλων ὑπὸ τοῦ ξύλου λύκοις ἐγένετο εὕρημα.*

---

1) cf. supra p. 14.
2) cf. l. l. p. 18.
3) cf. supra p. 10—11.
4) Klüberi l. l. cf. p. 29.

Strabonem sua ex Ephori historiis petivisse inde apparet, quod huius ab illo paulo ante ut auctoris mentio fit. Atque etiam Pausaniae relatio haud scio an ad eundem fontem referatur.

De Polydama:

Tzetzes chil. II, 459.

Ὁ Πολυδάμας οὗτος ἦν ἐκ πόλεως Σκοτούσης,
γυμναῖς χερσὶ μὲν λέοντας ὡς ἄρνας διαφθείρων,
πτεροῖς ποσὶ δ' ὑπερνικῶν ἅρματα ταχυδρόμα,
τῇ δὲ χειρί τι σπήλαιον ἀντήρεισε συμπῖπτον.
ὁ Σικελὸς Διόδωρος γράφει τὴν ἱστορίαν.

Pausan. VI, 5, 4[1]).

Ἐς σπήλαιον γὰρ οἵ τε ἄλλοι τῶν συμποτῶν καὶ ο Πουλυδάμας ἐσῆλθεν ὥρᾳ θέρους, καί πως οὐ κατά τινα ἀγαθὸν δαίμονα ἡ κορυφὴ τηνικαῦτα τοῦ σπηλαίου κατερρήγνυτο, καὶ δῆλα ἦν ὡς αὐτίκα ἐμπεσεῖσθαι καὶ χρόνον οὐκ ἐπὶ πολὺν ἔμελλεν ἀνθέξειν. γενομένης δὲ αἰσθήσεως τοῦ ἐπιόντος κακοῦ καὶ τρεπομένων ἐς φυγὴν τῶν λοιπῶν, παρέστη καταμεῖναι τῷ Πολυδάμᾳ, καὶ ἀνέσχε τὰς χεῖρας ὡς ἐπιπίπτοντι ἀνθέξων τῷ σπηλαίῳ καὶ οὐ βιασθησόμενος ὑπὸ τοῦ ὄρους. τούτῳ μὲν ἐνταῦθα ἐγένετο ἡ τελευτή.

Ex eis, quae a Tzetze explicantur, intellegi potest Diodorum de Polydama satis accurate disseruisse, ut Valerium exemplum suum ab illo mutuatum esse haud incredibile sit. Itaque Kempfio[2]), qui haec exempla ex Diodori bibliotheca profecta esse censet, adstipulari non dubito, quamvis illius argumentationem improbem. Kempf enim ea de causa exempla ad Diodori opus revocat, quod Valerius, cum scriberet de Milone Crotoniate et de Polydama athleta, quibus nimia virium fiducia mortis causa exstitit, non fortuito in eandem sententiam incidit atque Diodorus nimiis membrorum viribus hebescere animi vigorem. Haec enim sententia exemplo IX, 12, ext. 10 a Valerio subiuncta illi non ex huius ipsius ingenii acumine excogitata, sed ex Diodori libro videtur desumpta esse. Qua in re Kempfio Collmann[3]) recte repugnat, sed non solum illius argumentum, quod revera aptum non est, sed etiam fontem, qui recte ab illo indicatur, iure suo reicere posse sibi videtur. Neque enim, quamquam id quod Collmann contra Kempfium contendit Diodorum Milonis et Polydamae exemplis corporum vigore hebescere mentis acumen docere in animo non habuisse, sed in magno periculo versari eum, in quo magna copia virium, ingenii parva vis esset, a vero non abhorret, tamen hoc dissensu Valerium illius verba ante oculos non habuisse effici oportet. Quid? Huius verba nonne fieri potuit ut ab ipso scriptore adiungerentur, quem ingeniosa dicta de suo penu addere solere constat. Atque etiam Valerius, ut supra[4]) nonnullis exemplis comprobavi, cum dicta ac facta memorabilia, quae in fonte occurrebant, certis titulis subiungeret, materiem quamquam ex auctore petebat, tamen rerum nexu vero atque genuino neglecto ad sententiam suam conformabat atque effingebat ex eaque saepe aliud atque auctor concludebat. Ita mihi hoc quoque loco res se habere videtur. Quocirca Kempfio quamvis argumentanti adverser, fontem statuenti assentior.

Exempla, quae usque adhuc percensui, e Diodori bibliotheca ob verborum et rerum consensum haud dubie originem ducere mihi videbantur neque alii auctores respiciendi erant, nisi qui, velut in exemplis VII, 3, ext. 7 et IX, 2, ext. 5, gravibus argumentis removeri poterant. Deinceps mihi de eis exemplis disserendum est, quorum origo ut statuatur etiamsi non solum Diodorus, sed etiam alii scriptores aliquo numero et loco sunt, tamen illius maxime ratio habenda est. Quo in numero ea quoque exempla habeo, quibus in enarrandis Valerius pluribus auctoribus usus esse videtur.

---

[1]) Gellius quoque (cf. noct. Att. XV, 16) Polydamae mortem describit.
[2]) cf. l. l. p. 22.
[3]) cf. l. l. p. 58 et 59.
[4]) cf. p. 8 adn. 1.

Initium fiat ab exemplo III, 2, ext. 5, quod cum Diodori et Ciceronis his locis componendum est:

Diod. Sic. XV, 87.

(Ἐπαμεινώνδας) ἡρωικῶς δ' ὑπὲρ τῆς νίκης ἀγωνισάμενος καιρίαν ἔλαβε πληγὴν εἰς τὸν θώρακα. κλασθέντος δὲ τοῦ δόρατος, καὶ τοῦ σιδήρου καταλειφθέντος ἐν τῷ σώματι, παραχρῆμα ἔπεσε κατισχυθεὶς ὑπὸ τῆς πληγῆς. . . . . Ἐπαμεινώνδας δ' ἔτι ζῶν εἰς τὴν παρεμβολὴν ἀπηνέχθη, καὶ τῶν συγκληθέντων ἰατρῶν ἀποφηναμένων ὅτι πάντως, ὅταν ἐκ τοῦ θώρακος ἐξαιρεθῇ τὸ δόρυ, συμβήσεται καὶ τὸν θάνατον ἐπακολουθῆσαι, εὐψυχοτάτην τοῦ βίου καταστροφὴν ἐποιήσατο. πρῶτον μὲν γὰρ τὸν ὑπασπιστὴν προσκαλεσάμενος ἐπηρώτησεν εἰ διασέσωκε τὴν ἀσπίδα, τοῦ δὲ φήσαντος καὶ θέντος αὐτὴν πρὸ τῆς ὁράσεως πάλιν ἐπηρώτησε πότεροι νενικήκασιν. ἀποφαινομένου δὲ τοῦ παιδὸς ὅτι Βοιωτοὶ νενικήκασιν, „ὥρα" φησίν „ἐστὶ τελευτᾶν," καὶ προσέταξεν ἐκσπάσαι τὸ δόρυ. ἀναβοησάντων δὲ τῶν παρόντων φίλων, καί τινος εἰπόντος ὅτι τελευτᾷς ἄτεκνος, Ἐπαμεινώνδα, καὶ δακρύσαντος, „μὰ Δία μέν" φησιν, „ἀλλὰ καταλείπω δύο θυγατέρας, τήν τε ἐν Λεύκτροις νίκην καὶ τὴν ἐν Μαντινείᾳ." καὶ τοῦ δόρατος ἐξαιρεθέντος ἄνευ πάσης ταραχῆς ἐξέπνευσεν.

Cic. de fin. II, 30, 97.

Non ego iam Epaminondae, non Leonidae mortem huius morti antepono, quorum alter cum vicisset Lacedaemonios apud Mantineam atque ipse gravi vulnere exanimari se videret, ut primum dispexit, quaesivit, salvusne esset clipeus. Cum salvum esse flentes sui respondissent, rogavit, essentne fusi hostes. Cum id quoque, ut cupiebat, audivisset, evelli iussit eam, qua erat transfixus, hastam. Ita multo sanguine profuso in laetitia et victoria est mortuus.

Val. Max. III, 2, ext. 5.

. . . . Epaminondas, maxima Thebarum felicitas idemque Lacedaemonis prima clades, cum vetustam eius urbis gloriam invictamque ad id tempus publicam virtutem apud Leuctram et Mantineam secundis proeliis contudisset, traiectus hasta, sanguine et spiritu deficiens recreare se conantes primum an clypeus suus salvus esset, deinde an penitus fusi hostes forent interrogavit. Quae postquam ex animi sententia conperit, „Non finis" inquit, „conmilitones, vitae meae, sed melius et † athius initium advenit: nunc enim vester Epaminondas nascitur, quia sic moritur. Thebas ductu et auspiciis meis caput Graeciae factas video, et fortis et animosa civitas Spartana iacet armis nostris abiecta: amara dominatione Graecia liberata est. Orbus quoque, non tamen sine liberis morior, quoniam mirificas filias Leuctram et Mantineam relinquo." E corpore deinde suo hastam educi iussit eoque vultu expiravit, quo, si eum di inmortales victoriis suis perfrui passi essent, sospes patriae moenia intrasset.

Quae Iustinus[1]) de Epaminondae exitu exponit, ea de causa silentio praetereo, quod cum rebus tum verbis a Valerio valde discrepant. Ille enim Epaminondam scutum servatum osculatum esse refert, id quod in huius narratione non exstat. De dicto autem, quo dux pugnas ad Leuctra et Mantineam factas filias suas nominat, nihil explicat. Quae cum ita sint, Diodorus et Cicero soli cum Valerio comparandi sunt. In Diodori vero et Valerii expositionibus haec inter se respondent:

ἔλαβε πληγὴν εἰς τὸν θώρακα. κλασθέντος δὲ τοῦ δόρατος	traiectus hasta ,
καὶ τῶν συγκληθέντων ἰατρῶν	recreare se conantes ,
πρῶτον μὲν . . . . ἐπηρώτησεν εἰ διασέσωκε τὴν ἀσπίδα,	primum an clypeus suus salvus esset,
πάλιν ἐπηρώτησε πότεροι νενικήκασι.	deinde an penitus fusi hostes forent interrogavit.
„μὰ Δία μέν" φησιν, „ἀλλὰ καταλείπω δύο θυγατέρας, τήν τε ἐν Λεύκτροις νίκην καὶ τὴν ἐν Μαντινείᾳ."	non tamen sine liberis morior, quoniam mirificas filias Leuctram et Mantineam relinquo."
καὶ τοῦ δόρατος ἐξαιρεθέντος	E corpore deinde suo hastam educi iussit ,
ἄνευ πάσης ταραχῆς ἐξέπνευσεν.	eoque vultu expiravit, quo, si eum . . victoriis suis perfrui passi essent, sospes patriae moenia intrasset.

Praeterquam quod Valerius ea, quae apud Diodorum scripta vidit, partim in compendium redigit, partim rhetorice exornat atque amplificat, tantus consensus perspicitur, ut pro eo discrepantiae leves esse videantur:

[1]) cf. VI, 8, 10—13.

τὸν ὑπασπιστὴν προσκαλεσάμενος ἐπηρώτησεν	recreare se conantes . . . . interrogavit,
ἀναβοησάντων δὲ τῶν παρόντων φίλων, καί τινος εἰπόντος	Quae postquam ex animi sententia conperit **et quae**
ὅτι τελευτᾶς ἄτεκνος, Ἐπαμεινώνδα, καὶ δακρύσαντος,	**secuntur usque ad** liberata est.

Harum priorem ex studio narrationis coartandae ortam esse mihi probatur. Indidem omnino deducendum esse opinor, quod Valerius nonnulla, quae in fonte repperit, silentio praeteriit. Quamvis vero hic cum Diodoro conveniat, tamen Ciceronem ab eo in usum conversum non esse contendere nolim. Huic enim sententiae id potissimum obstat, quod Ciceronis et Valerii verba haec:

quaesivit, salvusne esset clipeus.	primum an clypeus suus salvus esset,
rogavit, essentne fusi hostes.	deinde an penitus fusi hostes forent interrogavit.
evelli iussit eam, qua erat transfixus, hastam.	E corpore deinde suo hastam educi iussit .

artissimo vinculo inter se cohaerere videntur. Quocirca a Valerio in collectaneorum librum et Ciceronis et Diodori locum receptum esse atque illius verba magis ad priorem partem in exemplo enarrando, huius autem magis ad posteriorem adhibita esse arbitror. Qua in re Kempfio[1]) assentior, adversor Collmannio[2]). Ille enim hoc loco diversos fontes expilatos esse inde apparere disputat, quod ultimum illud Epaminondae dictum e credibili et vero rerum nexu violenter exemptum satis ridicule cum aliis morientis Epaminondae verbis conectatur[3]). Quid vero de Kempfii argumento sentiam, paulo infra demonstrabo.

Collmannio autem exemplum Valerii non ita comparatum videtur esse, ut inde Diodorum ab illo omnino respectum esse colligamus. Cui quamquam haec verba Epaminondae Valeriana „N o n f i n i s“ inquit, „c o n m i l i t o n e s“ et quae secuntur usque ad „l i b e r a t a e s t“ non in Diodori bibliotheca esse concedo, tamen eorum posteriorem partem inde a „T h e b a s d u c t u“ usque ad „l i b e r a t a e s t“ ex huius narratione, quae loco allato statim succedit, haustam ad suam sententiam finxisse atque inseruisse Valerium persuasum habeo. Si vero hunc Diodori verba in usum vocavisse quominus putet Collmannio primum id obstare videtur, quod a Valerio longiori narrationi finem alio ex fonte petitum adiectum esse parum verisimile sit, ille ignorare videtur, qua ratione Valerius fontibus suis usus sit. Nam permulta sunt exempla, quibus hunc in uno exemplo exponendo plures auctores consuluisse et pannis quibusdam purpureis undique collatis dicendi genus exornavisse satis confirmetur. Iam vero Collmann ne respondere quidem Valerii verba Diodoreis contendit, cum apud Diodorum Epaminondas amico, quod ille *ἄτεκνος* moriatur, querenti minime se sine liberis mori respondeat, apud Valerium autem Epaminondas sane se orbum mori concedat. Sed ne hoc quidem recte se habet. Quid? Verba „n o n t a m e n s i n e l i b e r i s m o r i o r“, quae ille neglegere videtur, nonne optime ad Diodorea quadrant?

Collmannii igitur sententia refutata redeo ad Kempfium, qui dicto illo Epaminondae sententiarum nexum, quem Diodorus sane ultimis verbis haec „*ἀναβοησάντων δὲ τῶν*“ et quae sec. praeponens respexerit, dirimi putat. Querellis enim amici cuiusdam, quod liberos non relinqueret, praetermissis inepte verbo „q u o q u e“ prioribus adiungi quae minime cum eis cohaereant ille existimat. Equidem, ut contra Kempfium dicam, minus verbo „q u o q u e“ offendor quam omnibus Valerii verbis, quae inde ab „N o n f i n i s“ usque ad „r e l i n q u o“ pertinent. Quid vero hoc loco sibi velit vocabulum „quoque“, Kempfius non recte percepisse mihi videtur. Mea quidem sententia „q u o q u e“ hic idem significat atque „a d d e q u o d“,

---

1) cf. l. l. p. 22.

2) cf. l. l. p. 58 et 59.

3) Idem de hoc loco Enmann (cf. l.: Über die Quellen des Trogus Pompejus für die griechische und sicilische Geschichte. Dorpat 1880 p. 110) sentit, sed certis argumentis non firmat.

quae vis saepe nobis occurrit[1]). Quae res si ita se habet, Valerii sententiae minime male inter se conexae sunt. Quoniam enim hic enuntiatis inde a „Non finis" usque ad „liberata est" Epaminondam mortuum ob res a se praeclare ac gloriose gestas vivere perrecturum esse ostendit, aliud argumentum affert, quo Epaminondam, quamquam orbus sit, tamen victoriis ad Leuctra et Mantineam reportatis quasi filiabus suis permansurum esse comprobat. Neque tamen me fugit verba, quae Valerius Thebanorum ducem facientem inducit, male ad illius finem, quem l. III c. 2 persequitur, quadrare. Agitur enim de fortitudine, illa autem verba spectant ad gloriam, quae virtutem sequitur. Quaerenti mihi, quo modo factum sit, ut Valerius Epaminondae orationem huic exemplo insereret, id maxime placet, quod ille, postquam Ciceronis et Diodori locos in collectaneorum librum recepit, in Epaminondae vulnerati fortitudine exponenda illum secutus est atque, cum ultimum illud dictum morientis missum facere nollet, ad Diodorum confugit transitumque ad huius expositionem suo ingenio composuit. Haec vero suspicio eo probatur, quod Epaminondae verba rhetoricum colorem, quem Valerius adhibere solet, luculenter praebent. Nam inter se contraria sunt haec:

„non finis . . vitae meae,	sed melius et † athius initium advenit.
nascitur,	quia sic moritur.
Thebas . . . . caput Graeciae factas video,	et fortis et animosa civitas Spartana iacet . . abiecta:
amara dominatione	Graecia liberata est.
Orbus quoque,	non tamen sine liberis .

Hae antitheses quae vocantur nonne redolent Valerii rhetoricam officinam?

Iam venio ad exemplum IV, 7, ext. 2, quod utrum ex Diodori bibliotheca an ex Trogi historiis Philippicis desumptum sit diiudicandum est. Quare animadvertas ea, qua apud tres scriptores exstant;

Diod. Sic. XVII, 37.

Ὁ δὲ βασιλεὺς ἅμ' ἡμέρᾳ λαβὼν ἕνα τῶν φίλων τὸν μάλιστα τιμώμενον Ἡφαιστίωνα παρῆλθε πρὸς τὰς γυναῖκας. ἐχόντων δ' ἀμφοτέρων ἐσθῆτας μὲν ὁμοίας, τῷ μεγέθει δὲ καὶ κάλλει προέχοντος τοῦ Ἡφαιστίωνος, ἡ Σισύγγαμβρις τοῦτον ὑπολαβοῦσα εἶναι τὸν βασιλέα προσεκύνησε· διανευόντων δ' αὐτῇ τῶν παρεστώτων καὶ τῇ χειρὶ δεικνυόντων τὸν Ἀλέξανδρον, ἡ μὲν Σισύγγαμβρις αἰδεσθεῖσα τὴν ἄγνοιαν πάλιν ἐξ ἀρχῆς προσεκύνει τὸν Ἀλέξανδρον, ὁ δὲ βασιλεὺς ὑπολαβὼν εἶπε „μηδὲν φροντίσῃς, ὦ μῆτερ· καὶ γὰρ καὶ οὗτος Ἀλέξανδρός ἐστιν."

Val. Max. IV, 7, ext. 2.

Quod ita esse rex Alexander sensit. Darei castris, in quibus omnes necessarii eius erant, potius Hephaestione gratissimo sibi latus suum tegente ad eos adloquendos venit. Cuius adventu mater Darei recreata humi prostratum caput erexit Hephaestionemque, quia et statura et forma praestabat, more Persarum adulata tamquam Alexandrum salutavit. Admonita deinde erroris per summam trepidationem excusationis verba quaerebat. Cui Alexander „Nihil est" inquit „quod hoc nomine confundaris: nam et hic Alexander est".

Curt. Ruf. III, 12, 16—17.

(Alexander) . . . tabernaculum cum Hephaestione intrat. Is longe omnium amicorum carissimus erat regi, cum ipso pariter eductus, secretorum omnium arbiter: libertatis quoque in admonendo eo non alius magis ius habebat, quod tamen ita usurpabat, ut magis a rege permissum, quam vindicatum ab eo videretur: et sicut aetate par erat regi, ita corporis habitu praestabat. Ergo reginae illum esse regem ratae suo more veneratae sunt. Jnde ex captivis spadonibus, quis Alexander esset, monstrantibus Sisigambis advoluta est pedibus eius, ignorationem numquam antea visi regis excusans. Quam manu adlevans rex, „Non errasti", inquit, „mater, nam et hic Alexander est".

Crohn[2]) Curtii loco usus Valerium hoc exemplum ex Pompeii Trogi historiis petivisse contendit. Arbitratus enim Valerium Graecos auctores non consulere ac Pompeium ad

[1]) Enuntiata verbo „quoque" coniunguntur saepissime ab Aviano, cuius e paucis fabulis conferas 16, 9; 18, 5; 32, 9; 34, 13.

[2]) cf. l. l. p. 7, 31, 32.

Alexandri Magni historiam exponendam a Curtio adhiberi atque consensu, qui inter illum et hunc (cf. Valerii verba „excusationis verba quaerebat“ cum Curtii verbis „ignorationem .... excusans“) intercedit, commotus illud iudicium cum quadam probabilitatis specie ferre potuit. Nunc vero sententia Collmannii, qui Graecos fontes a Valerio in usum vocatos non esse existimat, mea disputatione iam satis reiecta videtur esse. Atque si Valerii, Diodori, Curtii narratiunculas accurate et diligenter inter se contuleris, Valerii verba propius ad Diodorum quam ad Curtium accedere intelleges. Nam illi ita inter se congruunt:

Diod.	Val.
τῷ μεγέθει δὲ καὶ κάλλει προέχοντος τοῦ Ἡφαιστίωνος,	Hephaestionemque, quia et statura et forma praestabat,
πάλιν ἐξ ἀρχῆς προσεκύνει	per summam trepidationem ,
„μηδὲν φροντίσῃς, ὦ μῆτερ.	„Nihil est“ inquit „quod . . confundaris:

Praeterea hoc maxime premo argumentum, quod uterque scriptor Darei matrem solam, omnes reginas Alexandrum salutavisse Curtius refert. Neque silentio praetereundum est id, quod hoc exemplum continuo alterum sequitur, quod ipsum quoque ex Diodori opere manavisse certum est[1]). Quapropter Valerii verba „cuius adventu . . recreata humi prostratum caput erexit“, quae apud Diodorum desiderantur, ab illo addita esse suspicor et exemplum ad huius auctoritatem revoco.

Nunc in comparationem vocemus hos locos:

Diod. Sic. XIII, 83.	Val. Max. IV, 8, ext. 2.
Ὁ δὲ τῶν Ἀκραγαντίνων σχεδὸν πλουσιώτατος ἦν κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον Γελλίας, ὃς κατὰ τὴν οἰκίαν ξενῶνας ἔχων πλείους πρὸς ταῖς πύλαις ἔταττεν οἰκέτας, οἷς παρηγγελμένον ἦν ἅπαντας τοὺς ξένους καλεῖν ἐπὶ ξενίᾳ·	Subnectam huic Acragantinum Gillian, quem propemodum ipsius liberalitatis praecordia constat habuisse. Erat opibus excellens, sed multo etiam animo quam divitiis locupletior semperque in eroganda potius quam in corripienda pecunia occupatus, adeo ut domus eius quasi quaedam munificentiae officina crederetur:
. . . .	. . . .
καὶ δή ποτε πεντακοσίων ἱππέων παραγενομένων ἐκ Γέλας χειμερίου περιστάσεως οὔσης, καθάπερ φησὶ Τίμαιος ἐν τῇ πεντεκαιδεκάτῃ βίβλῳ, πάντας αὐτοὺς ὑπεδέξατο, καὶ παραχρῆμα πᾶσιν ἱμάτια καὶ χιτῶνας ἔνδοθεν προενέγκας ἔδωκε.	Hospites quoque cum urbanis penatibus tum etiam rusticis tectis benignissime excepti, variis muneribus ornati dimittebantur. Quodam vero tempore D simul Gelensium equites vi tempestatis in possessiones suas conpulsos aluit ac vestivit. . . . . .

Kempf[2]) Valerii exemplum e Timaei historia, ex qua sua se desumpsisse Diodorus testatur, haud dubie petitum esse censet, quod in altero quoque exemplo (I, 7, ext. 6) enarrando Valerius Timaeum in usum suum convertisse videtur. Neque vero id certis argumentis confirmatum est. Equidem dubito, an exemplum I, 7, ext. 6 alii auctori attribuendum sit, qui a Valerii aetate propior sit. Sed etsi ab hoc Timaeum omnino neglectum esse demonstrare non possum, exemplum IV, 8, ext. 2 ad Diodori auctoritatem referendum esse mihi credibile videtur. Nonne id Valerii et Diodori locorum similitudine atque affinitate probatur? At ille multo copiosior hoc est. Quid? Valerii verba „sed multo“ usque ad „dimittebantur“ aliaque a me omissa, quae respicias, nonne plena sunt figurarum, quas antitheses vocare solemus? Suspicio igitur oritur ea ex scriptoris officina prodiisse, cuius consuetudinem et studium amplificandi et exornandi valde redolent. Quae si excluseris, cetera ad unguem fere consentiunt, ut ad alios fontes confugere opus non sit, sed magna cum probabilitate Diodori auctoritatem statuere possis.

---

[1]) cf. supra p. 12.

[2]) cf. l. l. p. 24.

Sequitur exemplum VI, 4, ext. 3, ad quod hunc locum Diodori adpono:

Diod. Sic. XVII, 54.	Val. Max. VI, 4, ext. 3.
Ὡς δ' οὐ προσεῖχεν (sc. Ἀλέξανδρος) αὐτῷ, πάλιν ἐξέπεμψεν ἄλλους πρέσβεις, ἐπαινῶν μὲν αὐτὸν ἐπὶ τῷ καλῶς κεχρῆσθαι τῇ τε μητρὶ καὶ τοῖς ἄλλοις αἰχμαλώτοις, ἀξιῶν δὲ φίλον γενέσθαι καὶ λαβεῖν τὴν ἐντὸς Εὐφράτου χώραν καὶ τάλαντ' ἀργυρίου τρισχίλια καὶ τὴν ἑτέραν τῶν ἑαυτοῦ θυγατέρων γυναῖκα, καθόλου δὲ γενόμενον γαμβρὸν καὶ τάξιν υἱοῦ λαβόντα καθάπερ κοινωνὸν γενέσθαι τῆς ὅλης βασιλείας. ὁ δ' Ἀλέξανδρος εἰς τὸ συνέδριον παραλαβὼν πάντας τοὺς φίλους καὶ περὶ τῶν προτιθεμένων αἱρέσεων ἀνακοινωσάμενος, ἠξίου τὴν ἰδίαν γνώμην ἕκαστον μετὰ παρρησίας ἀποφήνασθαι. τῶν μὲν οὖν ἄλλων οὐδεὶς ἐτόλμα συμβουλεῦσαι διὰ τὸ μέγεθος τῆς ὑποκειμένης ζητήσεως, Παρμενίων δὲ πρῶτος εἶπεν „ἐγὼ μὲν ὢν Ἀλέξανδρος ἔλαβον ἂν τὰ διδόμενα καὶ τὴν σύνθεσιν ἐποιησάμην.“ ὁ δ' Ἀλέξανδρος ὑπολαβὼν εἶπε „κἀγώ, εἰ Παρμενίων ἦν, ἔλαβον ἄν.“	Quantus hic in sapientia, tantus in armis Alexander illam vocem nobiliter edidit: Dareo enim uno iam et altero proelio virtutem eius experto atque ideo et partem regni Tauro tenus monte et filiam in matrimonium cum decies centum milibus talentum pollicente, cum Parmenion dixisset se, si Alexander esset, usurum ea condicione, respondet „Et ego uterer, si Parmenion essem.“ Vocem duabus victoriis respondentem dignamque cui tertia, sicut evenit, tribueretur.

Valerii verba ab expositione Diodori proxime absunt atque, nisi quod ille nonnulla, quae ab auctore uberius referuntur, paucis absolvit, rerum consensus quam maximus conspicuus est. Discrepantiae autem leves sunt atque eae, quae facile tollantur. Nam quod „Tauro tenus“ loco „Euphrate tenus“ scribit, Valerio erroris causam exstitisse Antiochum[1]) ea parte regni a Romanis multatum Perizonius et Torrenius[2]) recte suspicati sunt. Dotis vero summa Valeriana, de qua magna inter veteres scriptores dissensio est, quamquam omnem fidem longe superat, tamen nihil est, quod ob eam a Valerio alium auctorem atque Diodorum consultum esse existimes. Illius enim numerus „decies centum milia“ aut illi negligentiae, qua saepe utitur, aut studio omnia in maius tollendi, quod non minus in illo animadvertitur, dandus mihi videtur esse. Neque vero hoc loco Pompeii Trogi ratio habenda est, si modo Crohnio[3]), qui Curtium Rufum[4]) in illo Alexandri dicto exponendo illum auctorem secutum esse dicit, fidem habemus. Comparatione enim instituta Curtii narrationem compositione, sententiarum ordine, verborum colore a Valerio adeo declinare cognoscas, ut, si Trogi eadem verba atque illius fuissent, fieri non potuisse concedas, ut ille ex huius opere sua depromeret.

Exemplum VIII, 13, ext. 1, ad quod nunc disputatio procedit, ex duobus fontibus haustum videtur esse.

Cic. de senect 10, 34.	Val. Max. VIII, 13, ext. 1.
.... Masinissa quae faciat hodie nonaginta natus annos; cum ingressus iter pedibus sit, in equum omnino non ascendere, cum autem equo, ex equo non descendere, nullo imbri, nullo frigore adduci, ut capite operto sit, summam esse in eo siccitatem corporis, itaque omnia exequi regis officia et munera.	.... Masinissa Numidiae rex hunc modum excessit, regni spatium LX annis emensus, vel ante omnes homines robore senectae admirabilis. Constat eum, quem ad modum Cicero refert libro, quem de senectute scripsit, nullo umquam imbri, nullo frigore ut caput suum veste tegeret adduci potuisse.

---

[1]) cf. ex. IV, 1, ext. 9.

[2]) cf. Kempfii l. l. p. 497 adn. 3.

[3]) cf. l. l. p. 35—38.

[4]) cf. IV, 11, 10—15.

Diod. Sic. XXXII, 16 Phot. p. 383 b.

Ὅτι Μασανάσσης ὁ Λιβύων βεβασιλευκὼς καὶ τὴν πρὸς Ῥωμαίους φιλίαν τετηρηκὼς ἐνενήκοντα μὲν ἐβίω ἔτη ἐν δυνάμει, παῖδας δέκα ἐν τῷ ἀπαλλάττεσθαι καταλιπών, οὓς καὶ Ῥωμαίοις ἐπιτροπεύεσθαι παρεκατέθετο, ἦν δὲ καὶ κατὰ τὴν τοῦ σώματος εὐτονίαν διαφέρων καὶ καρτερίᾳ καὶ πόνοις συνήθης ἐκ παιδός· ὅς γε στὰς ἐν τοῖς ἴχνεσιν ὅλην τὴν ἡμέραν ἀκίνητος ἔμενε, καθεζόμενος δὲ οὐκ ἠγείρετο, μέχρι νυκτὸς ἐνημερεύων ταῖς τῶν πόνων μελέταις, ἐπὶ δὲ τὸν ἵππον ἐπιβαίνων συνεχῶς ἡμέραν καὶ νύκτα καὶ ταῖς ἱππασίαις χρώμενος οὐκ ἐξελύετο. σημεῖον δὲ τῆς περὶ αὐτὸν εὐεξίας τε καὶ δυνάμεως μέγιστον· ἐνενήκοντα γὰρ σχεδὸν ἔχων ἔτη υἱὸν εἶχε τετραετῆ διαφέροντα τῇ τοῦ σώματος ῥώμῃ. ἐν δὲ ταῖς τῶν ἀγρῶν ἐπιμελείαις τοσοῦτον διήνεγκεν ὡς ἑκάστῳ τῶν υἱῶν ἀπολιπεῖν ἀγρὸν μυριόπλεθρον, κεκοσμημένον πάσαις ταῖς κατασκευαῖς. ἐβασίλευσε δ' ἐπιφανῶς ἔτη ἑξήκοντα.

Eundem ferunt aliquot horis in eodem vestigio perstare solitum, non ante moto pede quam consimili labore iuvenes fatigasset, ac si quid agi ab sedente oporteret, toto die saepe numero nullam in partem converso corpore in solio durasse. Ille vero etiam exercitus equo insidens noctem diei plerumque iungendo duxit nihilque omnino ex his operibus, quae adulescens sustinere adsueverat, quo mollius senectutem ageret, omisit. Veneris etiam usu ita semper viguit, ut post sextum et octogesimum annum filium generaret, cui Methymno nomen fuit. Terram quoque, quam vastam ac desertam acceperat, perpetuo culturae studio frugiferam reliquit.

Quem auctorem Valerius in priore parte exempli consuluerit, ipse commemorat Ciceronem. Ab eo vero pauca inde a verbis „nullo umquam“ usque ad „adduci potuisse“ mutuatum illum esse comparatione habita intellegas. Quem autem deinceps secutus sit, non dubium tibi erit, si Diodori locum, quem apposui, cum Valeriano contuleris. Nam eadem fere rerum series, idem enuntiatorum ordo eademque verba apud utrumque redeunt. Quin etiam, quot annos Masinissa Numidas rexerit, inde Valerius petivisse videtur. Ea autem, quae apud hunc solum deprehenduntur, partim, veluti verba inde a „non ante“ usque ad „fatigarent“, haud scio an ab eo ex ipsius ingenio iniecta sint, partim, velut nomen filii Methymni, ex Diodori opere hausta, cuius locus non integer ab excerptore servatus est. Quodsi nomen Diodoro auctori attribuendum est, Livii auctoritas maiore probabilitatis specie removeri potest. Nam hic quoque, ut ex epitoma libri L cognoscimus, permulta de Masinissa sene explicavit. Cum vero in quinta decade componenda Livium Polybium potissimum ducem sequi satis constet atque hic[1]) ultimo illi Masinissae filio nomen *Στέμβανον* det, Methymnum Valerius, hunc Livium hoc loco in usum suum convertisse minus credibile est.

Exemplo IX, 1, ext. 1 a Valerio exponitur, quomodo Campana luxuria Hannibalis militum virtutes atque vires fractae sint. Cum eo vero conferendi sunt hi loci Livii et Diodori:

Liv. XXIII, 18.

. . . . Somnus enim et vinum et epulae et scorta balineaque et otium consuetudine in dies blandius ita enervaverunt corpora animosque, ut magis deinde praeteritae victoriae eos quam praesentes tutarentur vires, . . .

Diod. Sic. XXVI, 15, H. 171.

Τρυφῆς γὰρ συνεχοῦς καὶ μαλακῆς εὐνῆς καὶ μύρων παντοίων καὶ παντοίας τροφῆς πολυτέλεια τὴν μὲν ἀλκὴν καὶ συνήθη τῶν δεινῶν ὑπομονὴν ἐξέλυσε, τὰ δὲ σώματα καὶ ψυχὰς εἰς γυναικώδη καὶ τρυφερὰν διάθεσιν μετέστησεν.

Val. Max. IX, 1, ext. 1.

At Campana luxuria perquam utilis nostrae civitati fuit: invictum enim armis Hannibalem inlecebris suis conplexa vincendum Romano militi tradidit. Illa vigilantissimum ducem, illa exercitum acerrimum dapibus largis, abundanti vino, unguentorum fragrantia, veneris usu lasciviore ad somnum et delicias evocavit . . . .

Valerius eadem fere vitia, quibus Karthaginienses serviebant, enumerat quae Livius, ut ille ex huius opere exemplum deprompsisse videatur. At quae Valerianis verbis „unguentorum fragrantia“ respondeant apud Livium frustra quaeras. Mihi quidem illa verba ad Diodori „*μύρων παντοίων . . . πολυτέλεια*“ redire plane probatur. Quodsi verum est, a

---

[1]) cf. XXXVII, 3.

Valerio aut Livium et Diodorum in usum conversos esse ita, ut illi singula verba ac singulas sententias ab hoc petitas adiceret, aut Diodorum solum adhibitum esse iure meo conicio.

Iam mihi disserendum est de exemplis IX, 2, ext. 1. a et IX, 6, ext. 1, quae ratione quadam inter se cohaerent. Eis apponantur haec fragmenta Diodori:

Diod. Sic. XXIII, 30. Tzetz. chil. 3, 356—362.

Ῥηγούλῳ τῷ Ῥωμαίῳ δὲ Μάρκῳ τῷ στρατηλάτῃ
κατασχεθέντι Σικελοῖς μάθε τὸ τέλος οἷον.
τὰ βλέφαρα τῶν ὀφθαλμῶν μαχαίρᾳ συντεμόντες
ἠνεῳγμένους εἴασαν τοὺς ὀφθαλμοὺς ἐκείνου.
μικρᾷ δὲ τοῦτον εἵρξαντες καλύβῃ στενωτάτῃ,
ἄγριον ἐξοιστρήσαντες ἐλέφαντα θηρίον,
ἐκίνουν τοῦτον καθ' αὐτοῦ συγκατασπᾶν καὶ ξέειν.

Tzetz. chil. 3, 365, 372, 378—385.

τοῖς Σικελοῖς καὶ Ξάνθιππος ὁ Σπαρτιάτης θνήσκει. . . .
ὁ Σπαρτιάτης Ξάνθιππος ἐλθὼν ἀπὸ τῆς Σπάρτης . . .
ἅπαν Ῥωμαίων στράτευμα σὺν τούτοις κατακόπτει.
τοῖς εὐηργετημένοις δὲ τὴν ἀμοιβὴν λαμβάνει
ἀξίαν καὶ κατάλληλον τῆς τούτων δυστροπίας.
πλοίῳ σαθρῷ τὸν ἄνδρα γὰρ οἱ μιαροὶ βαλόντες
ὑπὸ στροφαῖς βυθίζουσι πελάγει τοῦ Ἀδρίου
βασκήναντες τὸν ἥρωα καὶ τούτου τὸ γενναῖον.
τῆς ἱστορίας μέμνηται τῆσδε καὶ τῆς Ῥηγούλου
ὁ Σικελὸς Διόδωρος . . .

Val. Max. IX, 2, ext. 1. a.

. . . . Karthaginienses Atilium Regulum palpebris resectis machinae, in qua undique praeacuti stimuli eminebant, inclusum vigilantia pariter et continuo tractu doloris necaverunt, tormenti genus haud dignum passo, auctoribus dignissimum.

Val. Max. IX, 6, ext. 1.

Verum ut ipsum fontem perfidiae contemplemur, Karthaginienses Xanthippum Lacedaemonium, cuius optima opera primo Punico bello usi fuerant et quo iuvante Atilium Regulum ceperant, simulantes domum se revehere, in alto merserunt, quid tanto facinore petentes? An ne victoriae eorum socius superesset? . . .

Krieger[1]) censet exempli IX, 2, ext. 1. priore parte Valerii atque Ciceronis (in Pis. 43) adeo inter se concinere verba, ut quin ex hoc ille pendeat minime sit dubitandum. Quamquam ille non infitiatur additamentum illud „in qua undique praeacuti stimuli eminebant" Valerium fortasse ex alio fonte sumptum Ciceronis expositioni iniecisse. Sed etiamsi saepe fit, ut ab illo totae sententiae et singula verba ex aliis auctoribus exempta inserantur, tamen hoc loco id mihi minus credibile videtur esse. Quapropter Kriegeri sententiae adversor non minus quam Hildesheimero[2]), qui hoc exemplum ad Hygini auctoritatem referendum esse putat. Ad eas sententias, quas probabilitatis speciem quandam prae se ferre negare nolim, ut accedam consensu, qui inter relationes sive Ciceronis et Valerii sive Hygini et Valerii intercedit, convictus, a me impetrare non possum, praesertim cum ab illis viris doctis Diodori bibliothecae ratio habita non sit. Accedit, quod auctor[3]) de viris illustribus, Hygini excerptor, de Reguli palpebris resectis nihil refert[4]).

Mihi quidem de Valerii huius loci auctore saepe numero quaerenti premendus videtur esse nexus, quo Reguli supplicium cum Xanthippi morte in exemplo IX, 6, ext. 1. ab illo coniungitur. Hoc enim non solum Atilium Regulum, de quo ex. IX, 2, ext. 1. item agitur, a Xanthippo captum esse, sed etiam hunc, cum de Poenis optime meritus esset, domum redeuntem in alto mersum esse exponitur. Ea vero res nusquam reperitur nisi apud Diodorum et Appianum[5]), quorum utrumque ex eodem auctore i. e. e Philino sua hausisse certis argumentis

---

[1]) cf. l. l. p. 4, 5, 37.

[2]) cf. De libro, qui inscribitur de viris illustribus urbis Romae, quaestiones historicae. Berol. 1880, p. 41.

[3]) cf. c. 40, 4.

[4]) Gellius quoque (cf. VII, 2—4) huc non pertinet, quia machinae, in qua undique stimuli eminebant, mentionem non facit.

[5]) cf. Appian. Pun. 4.

Collmann [1]) comprobavit. Nunc vero disputationis meae ea parte, quae continuo sequetur, in enarrandis exemplis externis eorum ipsorum capitum, quibus haec exempla adiuncta sunt, identidem Diodorum a Valerio adhibitum esse admodum probabiliter demonstrabitur. Quid? Ea quoque, de quibus ago, ex illius bibliotheca deprompta esse nonne verisimile est? Adde quod verborum consensio inter illos scriptores quam maxima perspicitur, praesertim si Appiani expositionem in comparationem vocavisti: *Καὶ ὁ Ἀτίλιος Ῥῆγλος ἐν ἀπορρήτῳ τοῖς τέλεσι Ῥωμαίων ἐπισκήψας ἐγκρατῶς ἔχεσθαι τοῦ πολέμου, ἐπανῆλθεν ἐς λύμην ἕτοιμον, καὶ αὐτὸν οἱ Καρχηδόνιοι καθείρξαντες ἐν γαλεάγρᾳ κέντρα πάντοθεν ἐχούσῃ διέφθειραν. Ξανθίππῳ δὲ τὸ εὐτύχημα συμφορῶν ἦρξε· Καρχηδόνιοι γὰρ αὐτόν, ἵνα μὴ δοκοίη Λακεδαιμονίων ἔργον εἶναι τοσοῦτον, ὑποκρινάμενοι τιμᾶν δωρεαῖς πολλαῖς καὶ προπέμπειν ἐπὶ τριήρων ἐς Λακεδαίμονα, τοῖς τριηράρχοις ἐνετείλαντο μετὰ τῶν συμπλεόντων Λακώνων καταποντίσαι. ὃ μὲν δὴ δίκην ἔδωκε τήνδε εὐπραξίας, ...* Quid? Quod verba, quae apud Ciceronem, quem Krieger statuit Valerii auctorem, desiderantur, eadem exstant apud Appianum. Quae cum ita sint, Valerium Diodori vestigia premere haud improbabili coniectura colligere mihi videor.

Nunc transeo ad Diodori, Valerii, Appiani locos, quibus eos Romanos, qui post cladem Cannensem ab Hannibale in castra se redituros esse polliciti de captivis redimendis Romam missi erunt atque, cum nihil profecissent, profecto reverterant, crudelem in modum trucidatos esse explicatur.

Diod. Sic. XXVI, 23 V. 281.	Val. Max. IX, 2, ext. 2b.	Appian. Han. 28.
Ὅτι ὁ Ἀννίβας ἀλλοτριώτατα διακείμενος πρὸς Ῥωμαίους, ἐκ τῶν αἰχμαλώτων ἐπιλέξας τοὺς εὐθέτους εἰς μονομαχίαν συνέζευξεν. ἀδελφοὺς μὲν ἀδελφοῖς, πατέρας δὲ υἱοῖς, συγγενεῖς δὲ συγγενέσι μονομαχεῖν ἠνάγκαζεν.	Quos vero in castra perduxerat, paria fere fratrum et propinquorum iungens ferro decernere cogebat neque ante sanguine explebatur quam ad unum victorem omnes redegisset. . . .	*Σεμπρώνιος οὖν καὶ οἱ σὺν αὐτῷ δύο τῶν αἰχμαλώτων πρὸς Ἀννίβαν ἐπανῄεσαν. Ὁ δ' ἔστι μὲν οὓς ἀπέδοτο αἰχμαλώτων, ἔστι δ' οὓς ὑπ' ὀργῆς ἀνῄρει καὶ τοῖς σώμασι τὸν ποταμὸν ἐγεφύρου καὶ ἐπέρα. ὅσοι δ' ἦσαν ἀπὸ τῆς βουλῆς ἢ ἄλλως ἐπιφανεῖς, μονομαχεῖν αὐτοὺς ὑπὸ θεαταῖς τοῖς Λίβυσιν ἠνάγκασε, πατέρας τε υἱοῖς καὶ ἀδελφοὺς ἀδελφοῖς, οὐδὲν ἐκλείπων ὑπεροψίας ὠμῆς.*

Quae hi auctores referunt, in Livii opere non reperiuntur. Id mihi inde deducendum videtur esse, quod fons, ex quo hic haurit, alter est, alter, ex quo illi sua desumunt. Iam supra Diodorum et Appianum in primo bello Punico describendo eundem auctorem sequi commemoravimus. Idem autem iudicandum est, si res bello Punico secundo gestae, quae ab eis exponuntur, diligenter inter se comparabuntur. Eae vero multis locis a Diodoro et ab Appiano ita narrantur, ut ipsi inter se congruant atque a Livio discedant. Itaque Collmann [2]) Silenum illis materiem subministravisse inde concludit, quod eorum narrationes Hannibali magis favent quam aliae. Utut res se habet, Diodorum et Appianum eodem auctore uti verisimile videtur esse. Cuius autem vestigiis insistit Valerius, qui cum illis in enarrando exemplo supra allato consentit? An Sileni? Immo mihi valde probatur hoc quoque loco a Diodoro, quem iterum atque saepius in explicandis exemplis e Punicis bellis petitis advocat, sua Valerium mutuatum esse. Quin etiam ea, quae illa Valerii verba ipsa antecedunt atque ita se habent:

> Eorum dux Hannibal, cuius maiore ex parte virtus saevitia constabat, in flumine Vergello corporibus Romanis ponte facto exercitum transduxit, ut aeque terrestrium scelestum Karthaginiensium copiarum ingressum terra quam maritimarum Neptunus experiretur.

indidem originem suam ducere persuasum habeas, si Appiani verba, quae eodem

[1]) cf. l. l. p. 68, 69.
[2]) cf. l. l. p. 79.

spectant, cum illis comparaveris. Nam conicere nobis licet ex opere Diodori narrationis partem tantummodo eclogarium excerpsisse atque servavisse. Neque scio an Florus sua, quae huc pertinent atque Appiana supplent, ex eodem fonte deprompserit et cum Liviana expositione coniunxerit:

Flor. II, 6, 18.

Documenta cladis cruentus aliquandiu Aufidus, pons de cadaveribus iussu ducis factus in torrente Vergello, ...

Ut vero Valerii exemplum IX, 2, ext. 2 alterum e Diodori bibliotheca sumptum sequitur, item res se habere videtur in capite sexto eiusdem libri. Iam supra[1]) exemplum primum huius capitis ad Diodori auctoritatem revocandum esse ostendimus. Exemplum secundum quamquam cum illius ipsius verbis componere nequimus, tamen Diodori auctori dandum esse e consensione, quae inter Appianum et Valerium intercedit, magna cum veri similitudine concludere licet. Appianus enim, ut supra docuimus, saepe ea tradit, quae ex Diodori opere temporum iniuria interierunt. Iam conferas:

Appian. Pun. 63.

Οὗτοι (sc. *οἱ Καρχηδήνιοι*) *Νουκερίαν ὑπήκοον ἡμῶν ἐπὶ συνθήκῃ λαβόντες, καὶ ὀμόσαντες σὺν δύο ἱματίοις ἕκαστον ἀπολύσειν, τὴν μὲν βουλὴν αὐτῶν ἐς τὰ βαλανεῖα συνέκλεισαν καὶ ὑποκαίοντες τὰ βαλανεῖα ἀπέπνιξαν, τὸν δὲ δῆμον ἀπιόντα κατηκόντισαν. Ἀχερρανῶν δὲ τὴν βουλὴν ἐν σπονδαῖς ἐς τὰ φρέατα ἐνέβαλον, καὶ τὰ φρέατα ἐπέχωσαν.*

Val. Max. IX, 6, ext. 2.

Hannibal porro Nucerinos hortatu suo cum binis vestimentis urbem inexpugnabilibus muris cinctam egressos vapore et fumo balnearum strangulando, et Acerranorum senatum eadem ratione extra moenia evocatum in profundum puteorum abiciendo nonne bellum adversus populum Romanum et Italiam professus adversus ipsam fidem acrius gessit, mendaciis et fallacia quasi praeclaris artibus gaudens? . . .

Iam copia Valerii exemplorum, quae Diodori auctoritati admodum probabiliter vindico, exhausta est.

Restat, ut ea exempla afferam, quae num ex Diodori libris originem ducant nihil certi affirmare ausim. Quibus autem argumentis adducar, ut ea ad Diodorum auctorem referam, pluribus explicare supersedeo, satis habeo exempla enumerare atque auctoris locos comparandos apponere. Haec vero sunt:

Val. Max. I, 1, ext. 8 epit. Par. = Diod. Sic. XIII, 102,
„ „ III, 2, ext. 3 = Diod. Sic. XI, 4. 8, 9,
„ „ IV, 1, ext. 6 = „ „ IX, 20 M. 19,
„ „ V, 1, ext. 2a = „ „ IX, 56 M. 28,
„ „ V, 3, ext. 2 = „ „ VII, 11 M. 1,
„ „ V, 3, ext. 3b = „ „ IX, 29 M. 1,
„ „ V, 4, ext. 2 = „ „ X, 64, 65 V. 254,
„ „ V, 6, ext. 3 = „ „ XI, 58,
(cf VIII, 7, ext. 15)

Val. Max VI, 5, ext. 1a = Diod. Sic. IX, 16, 17 V. 234, 237,
„ „ VI, 5, ext. 1b = „ „ IX, 18 M. 19,
„ „ VII, 2, ext. 2a = „ „ IX, 37 M. 23,
„ „ VIII, 7, ext. 2 = „ „ X, 25, M. 32.
„ „ VIII, 7, ext. 7 = „ „ XXVI, 28 Tzetz. chil. 2, 35,
„ „ VIII, 9, ext. 1 = „ „ IX, 8, M. 16,
„ „ VIII, 14, ext. 4 = „ „ XVI, 94,
„ „ IX, 2, ext. 9 = „ „ IX, 28 M. 20.
„ „ IX, 12, ext. 4 = „ „ } XIII, 103.
„ „ IX, 12, ext. 5 = „ „ }

Omnia exempla, quae usque adhuc attuli, externa sunt. Domestica haud scio an e Diodori bibliotheca desumpta sint Valerii exempla haec: V, 1, 8; V, 10, 2; VI, 4, 3.

Nunc denique finem facio Valerii exempla e Diodori opere petita indagandi. Ut vero eorum, quae hac disputatione comprobavisse mihi videor, breviter summam repetam, Valerius Maximus in externis exemplis enarrandis non solum Ciceronem et Livium, sed etiam haud dubie non raro ducem sibi delegit Diodorum, cuius opus illi et facilem aditum et uberem excerpendi materiem praebebat. Num vero Diodorus ad exempla domestica exponenda a Valerio in usum vocatus sit, in medio relinquo.

---

[1]) cf. p. 24.